Digitized by Google

3 Wisc 2
f1/101



Digitized by Google

Λέξεις Ἀλεξάνδρας Λυκοφρονος
Bachmanni. Anecd. vol. II p.
99–99.

338
L7a
t S3
M9

Digitized by Google

Digitized by Google

ΙΣΑΑΚΙΟΥ ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΟΥ
ΤΟΥ ΤΖΕΤΖΟΥ

ΣΧΟΛΙΑ

ΕΙΣ

ΛΥΚΟΦΡΟΝΑ.

LECTIONIBUS EDITIONIS SEBASTIANAE VARIIS IN LYCOPHRONIS ALEXANDRAM PRAEMISSIS ET RECENSITIS, AD SUPPLENDAM ET ABSOLVENDAM EDIT. REICHARDIANAM, E TRIBUS CODD. MSS. VITEBERGENSIBUS VNOQUE CIZENSI NUNC PRIMUM COLLATIS EMENDAVIT, NOTIS CUM GEORG. FRID. THRYLLITZSCHII, TUM SUIS ILLUSTRAVIT, SCHOLIIS MINORIBUS NONDUM EDITIS AUXIT, COMMENTARIOS MEURSII ET POTTERI ADDIDIT, ET INDICIBUS INSTRUXIT VBERRIMIS

M. CHRIST. GOTTFRIED MÜLLER

RECTOR SCHOLAE ET BIBLIOTH. EPISCOP. CIZENSIS PRAEFECTUS, AC SOCIETATIS LAT. IENENSIS SODALIS.

VOLUMINA TRIA.

LIPSIAE, MDCCCXI.

SUMTIBUS F. C. G. VOGELII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS

ILLUSTRIBUS, SUMME VENERABILIBUS

ATQUE AMPLISSIMIS

CHRISTIANO DANIELI BECKIO

A CONSILIIS REGIS SAXONIAE AULICIS, LITTERARUM GR. ET LAT.
IN VNIVERSITATE LITT. LIPS. PROF P. O. ET BIBLIOTHECAE
PAULINAE PRAEFECTO

HENRICO CAROLO ABRAMO
EICHSTAEDT

DUCI SAXONIAE ET PRINCIPI TERRARUM VIMARIENSIUM SERENISSIMO
A CONSILIIS INTERIORIBUS AULICIS, S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,
ELOQ. ET POET. PROFESS P O. ET BIBLIOTHECAE PRAEFECTO
IN VNIVERSITATE LITT. IENENSI

GODOFREDO HERMANNO

ELOQ. ET POET. IN VNIVERS. LITT. LIPS. PROF. P. O.

GODOFREDO HENRICO
SCHAEFERO

PHILOSOPHIAE IN VNIVERSITATE LITT. LIPS. PROFESSORI

Digitized by Google

STRENUIS

LITTERARUM GRAECARUM IN TERRIS SAXONICIS

VINDICIBUS AC STATORIBUS

PATRONIS SUIS OPTIMIS

HUNC LIBRUM

OMNI, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

CONSECRAVIT

EDITOR.

Digitized by Google

Greek
Philos. Univ.
4-12-39
: 211
3 v. in 2

PRAEFATIO EDITORIS.

Viginti tres ipſi anni ſunt, cum Reichardus, olim mihi amiciſſimus, iam vero deſideratiſſimus, Lycophronis Alexandram cum verſione et commentario Canteri edebat, paraphraſi, indice graeco et notis additis, quae omiſſa ſupplerent, tenebris inuoluta, quae ſunt non pauca, illuſtrarent, atque non ſatis accurate explicata a Cantero accuratius explicarent. Opera autem Reichardi mei, quam interpretando Lycophroni impenderat, vehementer probata eſt omnibus, qui ſcirent, quantum moleſtiarum et laborum exhauriendum eſſet eius lectoribus, ne dicam, interpretibus. Verum quum hanc editionem non ad criſin, quae ſane in Lycophrone eſt difficillima, ſed totam accommodaſſet ad interpretationem poetae, quam vnice neceſſariam putaret, extiterunt, qui optarent, immo flagitarent, vt tandem *aliquis* pluribus Codd. Mſſ. collatis rei criticae rationem magis haberet, quam reliqui editores adhuc habuiſſent. Accedit huc, quod ſcholia Tzetziana, nullo modo negligenda, plane neglexit, quin etiam ſcholia breuiora, ſpatiis verſuum interiecta in Codd. Vitt. eos manu ſua tractaret, ſi exceperis pauca in Indice adata, cum eſſent tamen paucarum modo plagella-

Digitized by Google

rum, et ab ipso Tzetzianis adeo praelata, editioni suae non adiunxit. Erat igitur editio, quam curauerat, bona quidem et vtilis, sed tamen non prorsus absoluta. Nemo autem posthaec in Germania, altrice graecarum litterarum tenerrima, manum iterum admouere Lycophroni, idque, quod Reichardus imperfectum reliquerat, absoluere, virorumque doctorum optatis satisfacere adhuc sustinuit. Italia hanc laudem videtur praeripuisse Germaniae. Prodiit enim Romae anno huius seculi tertio studio et impensis Leopoldi Sebastiani Lycophronis Alexandra, vt ipse tradit, ope XVI Codd. Mss. sanioribus lectionibus restituta, fideliori interpretatione exornata, et accurata paraphrasi explicata cum Tzetzarum commentario ex posteriori Potteri editione ad fidem XIII exemplarium bis mille ferme in locis emendato, notabiliter aucto, latine reddito, et illustrato. Accedunt Fragmenta vndique collecta, variantes lectiones, emendationes et indices necessarii. Sed rem factam non habemus. Bene quidem Sebastianus promisit, verum, iudicibus viris harum rerum peritissimis, male promissa praestitit. Multa quidem congessit, at non ita, vti debebat, digessit. Codicibus, quorum ei longe plures, quam vlli alii editori, patebant, non satis diligenter videtur esse vsus, neque pretio eorum, neque aetate accurate constituta, vnde accidit, vt nescimus, quinam sint principes, et quasi patres reliquorum, quomodo se deinceps exceperint, quinam integri, et quinam a glossatoribus, inprimis in scholiis sint corrupti. Quis igitur miretur, Sebastianum, nulla aetatis et auctoritatis Codd. habita ratione, nec certis sibi statutis legibus, in lectionibus eligendis et constituendis nunc huc, nunc illuc fluctuare ac trepidare? Libido est, quae eum, non tam Lycophro-

Digitized by Google

nem, quam ſcholia Tzetzarum, quibus recenſendis, vel potius congerendis operam conſumſiſſe videtur, emendaturum plerumque regit, non auctoritas Codd. Mſſ. et aliorum ſcriptorum ac Grammaticorum, non vſus loquendi communis et Lycophroni Tzetzisque proprius, immo ne locorum quidem, in quibus eadem iisdemque verbis a Lycophrone et Tzetzis traduntur, comparatio. Ex quocunque Codice, in quem libido eius incidit, lectiones nouas in ſcholia recipit, veteribus temere reiectis, loca non mutanda mutat, et mutanda non mutat, non addenda addit, et addenda non addit, non transponenda transponit, et transponenda non transponit, aliena, quae glossemata redolent, vel modo dicta repetunt, infercit, atque hinc ſupplet ſupplenda et non ſupplenda. Exempla huius inconſtantiae, vbique in notis noſtris notatae, iam non attinet afferre. Conſuluiſſet ſane melius Lycophroni, ſi non modo varias Codd. ſuorum, vti dedit, lectiones dediſſet, ſed eas etiam, quod facere non ſuſtinuit, contuliſſet inter ſe, diiudicaſſet, et quae eſſent probandae ac non probandae, conſtituiſſet: ſi loca poetarum, quae Lycophron ante oculos habuiſſe videtur, vt Homeri, inprimis Tragicorum, et ex his prae caeteris Aeſchyli et Euripidis, ad quem Lycophron verſus ſaepe adumbraſſe videtur, adiiſſet. Conſuluiſſet etiam melius Tzetzarum ſcholiis, ſi varias, quas Codd. eius exhibebant lectiones, reddidiſſet omnes, ſi editiones vulgatas ante Potterianam poſteriorem, quam adeo cum vitiis typographorum ſequitur vnam, reliquis in Praefatione p. XXI. ad piper temere amandatis, non plane neglexiſſet, ſi ea, quae habent reliqui Mythographi, inprimis Apollodorus, quae Iſaac. Tzetzes in Pindarum, Ioannes vero in Chiliadibus, in Antehomericis, Ho-

mericis et Poſthomericis, et in ſcholiis in Heſiodum ſunt commentati, adhibuiſſet, ſi denique iis, quae Grammatici interpretantur reliqui, vt Etymol. M., Heſychius, Suidas, Eudocia et Phauorinus, quem modo ſemel ad v. 519. laudat, vti etiam ſcholiaſtarum Aeſchyli, Euripidis, Apollonii Rhodii, Nicandri, et inprimis Euſtathii in Homer. et Dionyſ. obſeruationibus in explicandis et emendandis ſcholiis vti voluiſſet. Verum haec ſubſidia, quibus interpres ſcholiorum Tzetzianorum plane non poſſit carere, vtrum ignorantia, an incuria, non conſtat, neglexit omnia. Credas, eum in tanta Codd. Mſſ. variarumque lectt. copia ac diuerſitate coniecturis ſaltem loca et verba ſingula corrupta correxiſſe, ſed religione quadam, ni fallimur, impeditus videtur, quominus ad has minutias deſcenderet criticas. Caveas tamen, ne iniuriam ipſi facias, nam garrire auerſatus eſt, vt ipſe in Praef. p. XXII. feſtiue fatetur, in poetam eiusque interpretem. At in his, quae iam commemorauimus, non multa modo deliquit, ſed multa quoque omnino non committenda commiſit. Verſiculos poetarum in ſcholiis a Tzetza laudatos pluribus ſine vlla Codd. Mſſ. et editionum auctoritate additis, vt ſenſum viciniae verborum iuuaret, auxit ſaepe, atque ita Tzetzae nolenti volenti beneficia obtruſit. Liberalitas autem eius longius progreſſa, vt gratiam Tzetzarum quaſi iniret, loca poetarum et ſcriptorum proſaicorum ab iis allata, quis eum tam ἄμουσον fuiſſe credat? ad editiones, quibus aetas noſtra vtitur, emendauit, iisque lectiones, quas Tzetzae tunc ne ſuſpicari quidem poterant, et quas Codd. Mſſ. alii, et editiones veteres quoque non exhibebant, ingeſſit. Fruſtra ergo Porſon quaereret ad Euripid. Oreſt. 1700. Διὸς pro Ζηνὸς in Tzetzae ſcholiis ad Lycophr. 510. a Sebaſt. edi-

tis: fruſtra quaererent alii alias lectiones ſcriptorum e Tzetzarum ſcholiis allatas; vbique iam inciderent in Tzetzas non ſeculi duodecimi, ſed vndeviceſimi. Nec deſunt loca poetarum, inprimis deperditorum, vbi ἀμάρτῳ noſtro accidit, vt emendationibus, quas vero non ingenio, ſed Codicibus ſuis iisque corruptis debebat, leges metri violaret. Qui quidem pruritus emendandi excuſandus, immo laudandus videatur, ſi modo mordeat, et mordendo ſanet loca peſſime affecta, et rebus a vero prorſus aberrantibus conſpurcata; verumtamen ne hunc quidem laudauerim in locis, quae ſane plura ſunt in ſcholiis noſtris, vbi Tzetzes, vt ex aliis patet eius ſcriptis, quae eadem tradunt, in eodem verſatur errore, eoque quaſi delectatur. Erranti tunc ſuccurrere velle, vt Sebaſt. ope Codd. haud dubie iam ab aliis emendatorum, vel potius corruptorum, ſuccurrere ſtuduit, eſt, ni fallor, ei iniuriam facere, et beneficium tribuere, quod ei noceat magis quam profit. Notanda ſunt eiusmodi loca, at non mutanda. Multum autem abeſt, vt his hactenus dictis de meritis Sebaſtiani in Lycophronem eiusque interpretes Tzetzas detrahere velimus, vt grati agnoſcamus, eum in colligendis et conſignandis variis lect. tantum praeſtitiſſe, quantum editores ſuperiores neque praeſtiterunt, neque praeſtare potuerunt. Atque ea, quae habet bona, fuere, quae paucis abhinc annis Cruſium, bibliopolam Lipſienſem, mouerent, vt Reiſio, de Artemidori Oneirocriticis optime merito, parandam demandaret editionem ſcholiorum Tzetzianorum a Sebaſt. emendatorum, atque abſoluendam explendamque editionem a Reichardo curatam et ab illo redemtam. Reiſius, quum vix rem eſſet aggreſſus, et ſcholia usque ad v. 500. deſcripſiſſet, morte immatura ereptus eſt litteris graecis.

Quum ante duos annos, et quod excurrit, ſalutabam Vogelium, virum honeſtiſſimum, et ſucceſſorem Cruſio digniſſimum, querebatur ille mecum de hac Lycophronis editione imperfecta, optabatque, vt exiſteret alius, qui partes Reiſii ſuſciperet. Ego, qui ſcirem, quantum neſcirem, et quantum temporis deberem ſcholae meae, longiſſime aberam, vt eas depoſcerem, vt potius Codicem Lycophronis ſcholiis Tzetzarum ornatum, quem bibliotheca curae meae commiſſa Cizenſis aſſeruat, ſuscepturo eas offerrem vſurpandum, et, vt plurimum, cum eo varias eius lectiones enotatas communicarem, atque ſic rem profligarem. Vogelius autem quum haec, quae obtuliſſem, Schaefero, Profeſſori Lipſ. graecarum litterarum peritiſſimo, penes quem plagellae a Reiſio conſcriptae ſeruabantur, narraſſet, ille pro benevolentia erga me ſua, quam multos iam annos ſum expertus, et expertum eſſe gaudeo, ſuaſit Vogelio, vt mecum de hac re ageret, eamque mihi peragendam committeret. Reddebat is mihi per litteras, quae Schaeferus Humaniſſ. ei coram dederat, meque ſimul excitabat, vt ſibi ac Lycophroni ſuo conſulerem. Dubius diu, tandem cedebam, timidus tamen, quum non ignorarem, me nunquam de Lycophrone edendo cogitaſſe, nec quidquam praeter Codicem noſtrum habere, quod ad huius poetae obſcuritatem illuſtrandam, ſcholiaque Tzetzarum recenſenda requireretur. Acceſſi itaque ad Lycophronem, eique horas, immo horulas, quas ſcholae meae ſurripere licebat, dedi fere omnes. Quum vſu quotidiano paullatim in interiorem eius familiaritatem me inſinuaſſe putarem, certe ſperarem, hoc inprimis mihi agendum videbatur, vt in notitiam quoque amicorum eius venirem, hoc eſt, vt eos, qui de eo iam bene meriti eſſent, cognoſcerem, et ſubſi-

dia, quae ad eum recte et accurate intelligendum paululum vel multum facerent, diligenter conquirerem, inque vsum meum conuerterem. Ante omnia igitur conferebam Codicem, qui penes me erat, Ciz. cum iis, quae Lycophron Tzetzaeque debent Sebastiano, atque hinc Ciz. cum tribus Codd. Viteberg., quos auctoritate ac benevolentia Sum. Venerab. Nitzschii, Antistitis rerum sacrarum Vitebergensium, nanciscimihi contigit. Verum quum e praefatione Reichardi p. XIII. cognouissem, in Regia, quae Dresdae est, bibliotheca asseruari exemplum editionis Potterianae prioris, a Georg. Frid. Thryllitzschio [a]), viro graece doctissimo, cum Codd.

a) Lingua lat. *Thryllitius*, vernacula vero *Thryllitzsch*, quod nomen quoque immutatum constanter seruauimus, non vero *Thryllitsch*, vt in Lexico Eruditorum a Ioechero edito, nominatur, qui quum plura quoque habeat, non recte satis et accurate commemorata, liceat nobis ope stemmatis, quod Io. Ernest. Thryllitzschius, iam a secretis Curiae Ecclesiasticae Episcopatus Numburgo-Cizensis, ex eadem progenie natus mihique amicissimus, beneuole mecum communicauit, vitiosa emendare, et omissa adiicere. Natus autem est Georg. Fr. Thryllitzschius Rodae, qui est pagus Geithaynium inter et Bornam in circulo regni Saxoniae Lipsiensi, patre Georgio, ibi sacra curante, anno Christi 1688. die octauo Decembris. In schola prouinciali, quae est ad Grimmam, versatus inde ab anno 1701. vsque ad annum 1707. oratione graeca ei valedixit, eodemque anno adiit Vniuersitatem litterarum Viteberg. vbi summa diligentia et laude operam dedit litteris theologicis, inprimis vero graecis et latinis discendis et docendis vsque ad annum 1715. quo in hac ipsa vrbe die 12. Febr. immatura morte et parentibus et litteris humanitatis est ereptus. Anno 1709. ornatus est summis philosophiae honoribus. Iam antea disputationem de θεοφανείᾳ veterum praeside et auctore M. Io. Sam. Luppio 1708. defenderat. Anno insequenti ipse scripsit duas disputatt. de dialectis graecis, et de dialecto Graecorum communi, quarum illam praeside M. Io. Iac. Ferbero, hanc vero praeside Georg. Guil. Kirchmayero defendit. Eodem anno conscriptam disp. de pronuntiatione latina ex Aeolica dialecto repetenda assumto socio Io. Godofr. Brunnero,

Vitt. modo nominatis collatum, et quum iam Harleſius in Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 760. not. q. optaſſet, vt chartas et emendationes Thryllitzſchianas [b]) in Lycophronem eiusque ſcholiaſtas nanciſci poſſet, adii, qui huic bibliothecae cum laude praeeſt, Daſsdorfium, virum doctiſſimum, mihique inde ab eo tempore, quo Lipſiae vna aſſidebamus Io. Aug. Erneſtio, litteras humanitatis tradenti, familiarem, petiique ab eo, vt mihi, ſi fieri poſſet, huius editionis Pott. faceret poteſtatem. Is mihi, qua eſt humanitate, non transmiſit modo eam, ſed, vnde veterem eius in nos communesque litteras noſtras animum non ſine voluptate agnoui, ex libris quoque, quos ipſe poſſidet, muneris et amicitiae cauſa addidit Lycophronem cum Io. Tzetzae Chiliad. qui Basileae 1546. prodiit, variis anonymi emendationibus margini appoſitis inſtructum. Facere autem non poſſumus, quin hanc Thryllitzſchii collationem operam noſtram qualemcunque in lectionibus Lycophronis et Tzetzarum conſtituendis, emendandis et explicandis eximie iuuiſſe, et moleſtias ſane non paruas magnopere leuaſſe ingenue fateamur. Etenim tanta induſtria, diligentia, immo religione eſt facta, vt nobis, ne fidei alius obnoxii eſſemus, Codd. ipſos recognoſcentibus vix tria aut quatuor loca, in

et anno 1711. diſp. de Deaſtris, quos gentiles ad fores ſtatuere colereque conſueuerunt, cum Chriſt. Frid. Brennero defendit. Patebat ei ſemper aditus ad Schurzfleiſchium eiusque bibliothecam, et ad Io. Godofr. Bergerum, cuius filium quoque inſtituebat.

b) Alia quoque Thryllit. laudat in notis Lycophroni ſubiectis, quae in ſcriptores vett. eſt commentatus, e. g. Obſeruatt. in Euripidis ſcholia, in Catullum, et Hypomnemata ſua; at quis ſcit, vbi haec lateant, digna ſane, quae in lucem proferantur?

quibus Thryllitzſchio aliquid humani accidit, occurrerent. Non autem Thryllitzſchius, Lycophronis editionem meditans, ſatis habebat, Codd. Vitteb. conferre, et collata configuare, ſed hinc illinc quoque notas, emendationes et coniecturas adiecit a nobis verbis ipſius laudatas, et ſcholia interlinearia exemplo ſuo adſcripſit. Ne vero quidquam videremur omiſiſſe, quod Lycophroni eiusque interpretibus graecis prodeſſet, notis quoque Reineſii, quamquam paucis, exemplo editionis Canteri adſcriptis vſi ſumus, laudatis quoque coniecturis quibusdam iam ante Potterum ab eo occupatis, et poſtea Codd. Mſſ. auctoritate confirmatis. Atque haec erant, quae nobis hanc ſcholiorum Tzetzianorum editionem adornantibus adeſſent. In locis vero quibusdam Lycophronis illuſtrandis, obſcuritate verborum vel rerum laborantibus, et intellectu difficilioribus, quam vt a me lucem iis accendi eaque explicari poſſe ipſe mihi confiderem, Hermannus et Schaeferus, Lipſienſium ornamenta, facem mihi, vt tutius incedere poſſem, liberaliter praetulerunt ſuam. Nulla mihi ſane eſſet humanitas, ſi laude ſua defraudarem Kieslingium, virum doctiſſimum, neceſſitate muneris et amicitiae mecum coniunctiſſimum, qui me pro humanitate, qua valet, ſingulari gnauiter et liberaliter adiuuit.

Vt vero ad ipſam hanc ſcholiorum in Lycophr. Tzetzianorum editionem tranſeam, vt iudices ſciant, quid iis ſpectandum ſit, docendum videtur, quid perfecerim, vel potius perficere voluerim, et quamuam viam, vt id perficerem, ingreſſus ſuerim. Conſtitutum erat primum Vogelio redemtori ſcholia modo Tzetzarum ad editionem Sebaſt. typis excuſa, nulla aliorum Codd. Mſſ. lectionis varietate addita, in lucem

emittere, vt haberent, qui editione Reichardi vterentur, quod ad Lycophronem rectius intelligendum opus esset. At quum Sebast. non scholiis modo emendatis et auctis, sed ipsi quoque Lycophroni variis e Codd. XVI lectionibus enotatis non parum profuisse, editionemque suam iis eximie ornasse constaret, monente imprimis et hortante Schaefero Excellentiss., ne editioni nostrae ad Reichardianam supplendam et absoluendam parandae aliquid, quo ea omnino non posset carere, deesset, lectionis varietatem editionis Italae scholiis praemittendam curauimus. Dedimus autem non varias tantum lectiones contextui Lycophr. subiectas, sed etiam ad calcem a Seb. positas, quae sphalmata librariorum esse arbitratur, reliquis inseruimus. Hoc autem ideo faciendum putauimus, quia haec sylua lectionum adeo quasdam exhibet omnibus aliis praeferendas, vt ad v. 1467. ἀγγελῶν pro ἀγγέλλων; deinde, quia, etiamsi sint falsae et a mente poetae alienae, tamen critico exercitato viam possunt aperire, quae eum ad lectionem veram indagandam atque inueniendam ducat; denique, quia inde genealogia quasi Codicum optime perspici potest. Quam varietatem lectionis excipiunt scholia Tzetzarum, vt Sebast. dedit, emendata tamen, vt posthaec ostendemus, et immutata. His adiunximus scholia minora, spatiis versuum in Codd. Vitt. interposita, interlinearia vulgo dicunt, nondum adhuc edita. Vt vero haberent omnes omnia, quae adhuc in Lycophronem virorum doctorum diligentia esset commentata, et vt omnibus reliquis, quae extant, editionibus Lycophronis facile supersedere possent, commentarios Meursii et Potteri cum metaphrasi Scaligeriana ex edit. Meursii, suadente etiam censore editionis Sebast. in ephemeridibus Lipsi.

litterar. ann. 1804, pag. 2570, ad edit. Potter. II. simul typis exscribendos putauimus. Sebastiani vero interpretatione scholiorum latina, tironibus vix apta, iis vero, qui velint et possint legere Lycophronem, plane inutili, editionem nostram noluimus commaculare. Etenim ea non solum saepe a mente scholiorum longe abeerrat, sed etiam ita est inficeta, vt non Italus, sed barbarus, et vitiis grammaticis ita scatet, vt ἀγράμματος puer eam conscribilasse videatur. Quisnam puer, in schola adhuc Grammaticae operam dans, non horreat, vt modo pauca notemus, *remorarunt*, *cursum remoraret*, *e Latino in Arabum translati*, *obscuritatem pariam* pro parem, *vagasse*, *imitasse*, *sustollere* et *sustollendus* pro tollere et tollendus, *resecauit*, *navem conscensus*, *ascensae virgines*, *certamen initus*, *aggressi ab iis sunt*, et alia his similia monstra grammatica? Et tamen is, qui ne elementa quidem Grammaticae lat. videtur didicisse, quis credat? in praefatione sua Canteri versionem Lycophronis latinam, vt ipsius verbis vtamur, indigestam, et Reichardi paraphrasin mutilam, angustam et infidam, suam vero, barbaram sane, fastidiosam rebusque plane alienis oneratam, nominat absolutam, liberalem et fidelem. Haec itaque omnia, non digna, quae repetantur, Sebastiano relinquenda duximus, notarum vero versioni scholiorum latinae ab eo subiectarum, quae notitiam dant scriptorum in scholiis obuiorum, tantum, quantum opus esset, recepimus, nostrisque inseruimus. Denique, ne quid videremur praetermisisse, quod ad editionem Reichardi absoluendam pertineret, Indices et verborum et rerum iis, quos editt. superiores exhibent, adiecimus longe vberiores, et, nisi fallor, quoque emendatiores.

Verum non ſufficit dixiſſe, quae ad hanc editionem noſtram adornandam contulerimus: reſtat, vt quoque doceamus, qua ratione in hac re pertractanda verſati, et quomodo ſubſidiis ſupra laudatis vſi fuerimus. Varietati autem lectionis a Sebaſt. Lycophroni ſubiectae primum adiecimus lectiones Codd. Viteberg. et Cizenſis, interpoſito ſimul, vbi opus eſſe videbatur, iudicio, vt, quaenam eſſent probandae, et quaenam reprobandae, intelligi poſſet. Paucae autem, vel plane nullae, ſi minutias quasdam exceperis, reperiuntur, vt in tanta Codd. copia, quos Sebaſt. tractauit, ſic in Codd. noſtris, lectiones omnino diſcrepantes, ne in locis quidem, in quibus veteres Grammatici a vulgata diſcedunt, vt ad v. 846, vbi Etymolog. ad *νηρὸν* et Suidas ad *νηρίτης*, et Phauorinus, laudato adeo Lycophrone, *νηροῖς* pro *νειροῖς* recte legunt. Sine dubio ante, quam Lycophronis Alexandra cum ſcholiis Tzetzarum edita eſſet, Lycophron habebat *νηροῖς*, quod vero a Tzetzis corruptum in *νειροῖς*, et deinde, cum Lycophron non niſi cum commentario Tzetzarum a librariis deſcriberetur, hoc vitium in omnia, quae deinceps ſequebantur, translatum eſſe videtur exempla. Verendum omnino videtur, ne idem aliis quoque Lycophronis locis, e. g. v. 593. vbi pro *φυλαμὸν* Stephanus legit *πύραμον*, acciderit. Eiusmodi autem depravationes, quas plures in notis noſtris commemorauimus, plerumque videntur ortae e Iotaciſmo, et male intellecta dictantis voce. Lycophronem autem valde dubitandum videtur eſſe ſcriptorem, in quo poſt tantam variarum lectionum copiam congeſtam critico larga meſſis adhuc ſit facienda. Scriptores enim, quos difficultate et obſcuritate impeditos, qualis eſt Lycophron noſter, non cuique licet adire, librariorum temerita-

tem mutandi atque emendandi non ita omnino videntur experti, vt alii, qui minus laborant difficultatibus, et quos quisque, etiamsi non exercitatus, intelligere facile atque explicare se posse sibi persuadebat. Fatum inde putauerim, vt librarii eiusmodi scriptorum Codices depingerent magis, quam describerent, hoc est, vt eos ad syllabas ac litteras singulas modo redderent, nec doctrinae ac sapientiae suae opinione, si in loca inciderent impeditiora, immutare ea et emendare conarentur. Quis est, qui ignoret, hoc ipsis, inprimis difficilioribus, Vet. Test. libris contigisse, quorum lectiones variae, adeo post Kennicotii et De Rossi operam, ex immensa Codd. Mss. copia congestae, tam paucae sunt, tamque leues, vt parum vel nihil ad textum vulgatum emendandum momenti habeant. Plane alia est rei ratio, si spectes varietatem lectionis, vt Noui Test., sic etiam scholiorum nostrorum a Tzetzis conscriptorum, in quibus vbique dominatur libido mutandi, corrigendi, et glossas ac glossemata inserendi. Noli itaque mirari, editionem Sebastiani, quae varias det XVI Codd. Mss. lectiones, et Codices quoque nostros, diligenter collatos, parum praebere, quod ad textum Lycophronis emendandum valeat. Ad coniecturas ideo critico est confugiendum; cauendum ei tamen, ne vrat ac secet, vbi ingenio Lycophronis videatur indulgendum. Quod cum nos semper sequeremur, ausi sumus, verum non sine summa circumspectione, immo potius cunctatione, ne malum ingrauesceret magis, quam molliretur, loca quaedam sine dubio affecta sanare, saltem alios nobis longe peritiores cura nostra excitare, vt Lycophroni opem ferrent. Opera autem nostra, quae sane est minima, non substitit in lectionis varietate exhibenda et consti-

tuenda, ſed, quum intelligeremus, loca quaedam Lycophronis adhuc reſtare, quae ab editoribus prioribus vel nondum ſatis accurate explicata, vel, in quibus a mente poetae plane aberrare viderentur, ad adminicula, vndecunque peti poſſent, adniſi, diligentius ea explicare ſumus conati: qua vero fortuna, penes alios, harum rerum arbitros, ſit iudicium. Errare enim humanum eſt, humanius autem in Lycophrone tenebris obruto, quas etiamſi tibi videaris diſpuliſſe, remanent tamen et impediunt, quominus proſpicias, et te ambiguum ac dubium turbant. Accidit fere idem lectori et interpreti Lycophronis, quod cuicunque ſub primo diluculo, tenebris nondum diductis omnibus, ſolet accidere, qui plura proſpicit, eaque vera, quae tamen non ſint, videre opinatur, et mente imagines ac formas ſubiicit vanas et a rebus alienas. Quod vero ad ſcholia Tzetziana attinet, quae campum aperirent longe latiorem et minus cultum, etſi Sebaſt. omnia videatur egiſſe, vt purgaret eum atque coleret, in his perluſtrandis, recognoſcendis ac nouandis licebat nobis latius ac liberius, quam in Lycophrone, exſpatiari, et quaſi exſultare. Gloriatur Sebaſt., ſe ope Codd. collatorum in his ſcholiis duo circiter millia locorum emendaſſe, nec immerito ſperare poſſe putat, ſe Tzetzam, (vti liceat ipſius verbis) natiuae puritati reuocaſſe. Multa ſane emendauit, quod quisque gratus agnoſcet; verum an Tzetzam reſtituerit purum omnino atque integrum, multa ſunt, quae dubitationem moueant. Primum enim, vt iam antea oſtendimus, auctoritatem modo Codd. quorundam, nullo iudicio interpoſito, eſt ſecutus, vnde euenit, vt ſibi ſaepe male conſtaret, et vt lectionem alio loco defenderet et reciperet, alio autem impugnaret eam-

dem atque reiiceret. Vix autem credibile eſt, eum in tanta inconſtantia, quam vbique prodit, omnes omnino Codd. ſuos diligenter contuliſſe. Quod ſi feciſſet, plures et aptiores, quam exhibuit, ei ſine dubio ſuppeditaſſent lectiones. Deinde quum opem editionum priorum omnium, excepta Potteriana altera, eſſet aſpernatus, omiſit interdum a Pottero male omiſſa, vt v. 171. ἵνα αὐτὴν — τῷ τύχει, et alia: vitia Potterianae edit. typographica mox repetiit, mox emendauit, ita vero, vt primum ſe fuiſſe iactitaret, qui ope Codd. ſuorum ea deleuerit, quum tamen editt. priores veram iam praeberent lectionem, vt ad v. 177. κατὰ τὸν καιρὸν, vbi Pott. mendoſe καὶ τὸν καιρὸν legit: loca non emendanda emendauit crebro, emendanda non emendauit, ne nominato quidem Codice, cui deberet hanc vel illam emendationem, ita vt modo in vniuerſum ſignificaret, plures eſſe Codices, qui eam exhiberent, atque ideo Tzetzam nouis commaculauit naeuis. Tum quum ſubſidiis, quae plura ſunt in Grammaticis, ſcholiaſtis et mythographis, non vſus eſſet, non potuit, quin et in rebus a Tzetza traditis, et in verbis ſingulis, inprimis in Nominibus propriis a vero longe aberraret. Si modo ei viſum fuiſſet, conſulere Chiliades Io. Tzetzae, quem ipſe cum aliis quibusdam ſolum putat ſcholiorum auctorem, earumque loca, quae cum ſcholiis eadem tradunt, comparare, Tzetzae ſuo lectiones a gloſſatoribus ſine dubio fictas non obtruſiſſet, vt ad v. 1432. πρίσβεις pro σπυρίδα, aliasque, nec Ariſtidem, ad eundem verſiculum laudatum, hiſtoricum Mileſium, ſed Aelium Ariſtidem oratorem immui intellexiſſet. cfl. quae ibi ſunt obſerua. Nil iam dicam de Homero, Aeſchylo, Euripide, Pindaro eiusque ſcholiaſta recentiori, qui ſine

dubio eſt ipſe Tzetzes, de Etymologo, Heſychio, Suida, Eudocia, Phauorino, Apollodoro, Pauſania, Stephano, Philoſtrato, Nonno et aliis, quos plerosque ne nominare quidem eſt dignatus. Quae quum ita eſſent, hoc nobis agendum videbatur, vt in ſcholiis recenſendis id, quod a Sebaſtiano eſſet delictum, redderemus, atque, quantum fieri poſſet, expleremus. Ope itaque non tantum Codd. noſtrorum, ſed aliorum quoque ſcriptorum et Grammaticorum modo nominatorum, quos Tzetzae ante oculos habuiſſe atque exſcripſiſſe videntur, ſcholia, vt, ſi fieri poſſet, ad integritatem reuocarentur ſuam, retractare atque recenſere inſtituimus. Hoc autem nobis videbatur inprimis agendum, vt e Codd. principibus, qui ſunt, vt poſtea docebimus, Vit. 1. et Cizenſis, lectiones reſtitueremus principes, atque eas, quae falſae, vel poſthaec ab aliis Iſaac. Tzetzae obtruſae viderentur, deleremus, ſaltem indicaremus. Ab auctoritate Codd. et noſtrorum, et Sebaſtianorum non receſſimus, niſi vbi, aliis collatis ſcriptoribus, lectiones eſſe omnino corruptas manifeſto apparebat. Atque ſic nobis contigit, vt ad mille et trecenta ſcholiorum loca refingeremus, et, ni prorſus fallimur, emendaremus. Scholia breuiora Tzetzianis ſubiecta, ne moles libri nimium excreſceret, nuda, vti Codd. dederunt, notulis tantum quibusdam aſperſis, quae vitia librariorum corrigerent, reddidimus. Codd. Vitt. 2 et 3. exhibent ea omnino omnia, ſed in Vit. 1. modo usque ad verſ. quingenteſimum pertinent: a Cizenſi vero plane abſunt. Vt autem ii, qui vellent vti eis, ſcirent, cuiusnam eſſent codicis, diſtinximus Codd. tribus litteris a, b, c. Plerumque diſcrepant inter ſe, nec videntur eſſe vnius eiusdemque auctoris, interdum vero, inprimis Vitt. 2 et 3.

ad verbum consentiunt, quod, ne eadem repeterentur, asteriscis * * *, interdum etiam plane absunt ab hoc vel illo Codice, quod lineola — significauimus. Non autem sunt, neque esse possunt, vt quidam opinantur, haec scholia ipsius Tzetzae. Meminit is quidem scholiorum, versuum spatiis interiectorum, λέξεων ἄνωθεν vel μέσον τῶν στίχων, vt vv. 263 et 275, sed non tanquam a semetipso conscriptorum. Videntur esse longe priora aetate Tzetzae, nam interdum is reddit in scholiis suis eadem iisdem verbis, interdum reprehendit eorum interpretationem, vt ad v. 432. Ἄρθωνος τοῦ τοῦ Ὀδυσσέως (sic habent schol. interlin.) λέγουσιν· οὐκ ἔστι δὲ τοῦτο: v. 1017. Ἀργυρίννους· οἱ δὲ Ἠπειρωτικὸν ἔθνος (sic scholl. interl.) αὐτοὺς λέγουσιν, οὐκ εἰδότες, ὅτι τὸ Ἀργ. — Σικελίας ἐστί: ad v. 1446. ὡς φλυαροῦσιν οἱ τὰ τοῦ Ἀνωφέρους πρὸ ἡμῶν σχολιάσαντες: interdum schol. breviora male, Tzetzes recte explicat verba, vt v. 1031. γράφων. Quum autem non vnius aetatis atque auctoris esse videantur, fortassis ea, quae Vitt. 2 et 3. continent, sunt, vt coniicit Thryllit., Demetrii Triclinii, vel Constantini Lascaris, cuius glossas inter lineas positas exhibet Cod. Matritensis. cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 758. Interim tamen, quamvis, quinam confecerint ea, ignoremus, sunt bona pleraque, vt ex Indice patet Reichardiano, qui quaedam laudat, et interpretationem Lycophronis eximie iuuant. Indicem vocabulorum gr., vti Potterus et Sebast. dederunt, plane diffingendum ac nouandum putauimus. Qui quidem eum vocabulis Lycophronis omnibus ornarunt, ita tamen, vt Nomina Substantiua et Adiectiua eodem casu ac numero, atque Verba eodem tempore ac numero, quo dederat Lycophron, redderent: quod sane parum vel nihil ad graecitatem Lycophronis in-

telligendam valet. Itaque hac ratione relicta, ad exemplum Lexicorum confeci Indicem, qui verba et formulas dicendi exhiberet omnino omnes, vt is, qui loca plura inter se et cum aliorum scriptorum locis comparare, et graecitatem poetae nostro propriam cuperet penitus cognoscere, haberet, vnde sibi consuleret. Vocabula in Lexicis nondum occurrentia asteriscis distinguenda curauimus. Praeterea adiecimus Indiculum vocabulorum quorundam Tzetzianorum in Lexicis, quae exstant, non obuiorum. Elenchum auctorum, qui in scholiis Tzetzarum passim laudantur, hinc illinc emendauimus, additis simul rebus, quarum causa a scholiastis citantur. Indicem rerum, quarum in scholiis fit mentio, cum geographicum, tum historicum, ne res quaedam, vt apud Sebastianum, qui geographicum ab historico dispescuit, bis traderentur, coniunximus, et multis partibus pleniorem emendatioremque dedimus.

Reliquum est, vt de Codd. Mss., quorum ope in adornanda hac editione nobis contigit vti, exponamus. Quod ad Vitebb. attinet, quos olim Erasm. Schmidtius versauit, et Thryllit. postea contulit, quaedam Reichardus quidem in praefatione iam occupauit, pleraque tamen, cum vbique breuitatem sequeretur, et in quibusdam non satis accurate versatus videretur, nobis supplenda reliquit. Praemonendum est, ne quis in ipsis Codicibus labatur, nos ei, quem Reichardus tertio loco posuit, longe, vt nobis videtur, vetustiori, cum Thryllitzschio secundum, et alteri, ab Aristobulo Apostolio, filio Michaelis Apostolii, haud dubie demum seculo XVI. conscripto, tertium dedisse locum. Errat autem Reichardus, ratus, hos tres Codd. omnes non ascendere vltra seculum XV. aut XIV. Non

dubitamus ad eius partes accedere, si spectemus, quem nominamus alterum Codicem, eumque vel ad finem saeculi XV. vel initio saeculi XVI. esse scriptum credimus. Tertius autem, vti modo commemorauimus, saeculi est XVI. Nihil autem vidisse videtur, quum primum membranaceum eiusdem fere aetatis esse opinaretur; nam si quid indicare possumus, etiamsi non ipso, quo vixit Tzetzes, saeculo, h. e. XII., certe XIII. est scriptus, nam primam, quam dicunt, recensionem ab Isaac. Tzetza factam et longe pauciora continet altera a fratre Ioanne emendata et aucta, qua de re postea dicendi erit locus. Opera de nostro, quem Ciza seruat, dicendi, quum iam in Progr.: *Notitia et Recensio Codd. Mss. qui in bibliotheca Episcopatus Numburgo-Cizensis asseruantur, Part.* III., *anno* CIↃIↃCCCVIIII, diligenter de eo disputauerimus, supersedere iam possemus; at cum eiusmodi libelli scholastici raro in manus virorum doctorum, vbique dispersorum, incidant, et rarius fines patriae transgrediantur, pauca huc pertinentia inde repetere liceat. Est is formae quadruplicis, et in charta solida nitide, quamquam non semper accurate, scriptus. Eum autem in Italia a Graeculo anno 1438 esse conscriptum, versus lingua italica fronti eius praemissus, verba graeca ab initio et ad extremum adposita, et annus ipse in extremo additus, confirmare videntur. Aetatem quidem Vit. 1. quam diximus, non attingit; attamen aetate et loco praestat Vitt. 2 et 3. atque e Cod. vetusto recensionis prioris descriptus omnia bona cum Viteb. 1. habet communia. Suppeditat enim cum Vit. 1. lectiones in Lycophrone optimas et sibi proprias, vt v. 55. καταβροχθέντος pro καταβρωθέντος: v. 290. τάφρων pro τάφρος: βρύουσαι pro βλύουσαι: v. 506. ἐκτετμημένους

pro ἱππότμ.: v. 620. ἀμφ' ἱππτύμους pro ἀμφεπητύμους, et al. In scholiis vero longe plures contextui ac graecitati scholiastarum aptissimas praebet lectiones, quarum nullam adhuc laudarunt editiones, ne Sebastiana quidem ad plurimos Codd. emendata, vt ad v. 911. τρίτον pro τοῦτοι, quae lectio inepta omnes obsidet editiones: ad v. 743. συσπῶσα τὸ pro συσπάσατο, quae lectio aeque inepta est: v. 939. οἱ Ἄβαντος pro Ἄβαντες, quae lectio Cizensi modo propria: v. 1232. Ἐλύμων pro Σολύμων: v. 1294. Μίμφις pro Μίμφη, et plures alias. Hinc satis apparet, Cod. Ciz. cum Vit. 1. lectiones suppeditare meliores omnibus Codd. Sebastiani, postea vero vel a Io. Tzetza, vel a librariis corruptas, eosque esse reliquis Codd. antiquiores. Confirmat etiam lectiones adhuc incognitas, et a Sebastiano primum e Codd. Mss. optimae notae prolatas. Sunt ei cum scholia quaedam, quae omnes omnino editt. ignorant, vt ad extr. v. 663. πευκίως sqq., tum quoque, quibus Sebastiana primum est aucta. Supplet praeterea verba singula et loca nonnulla, quae in editt. omnibus, adeo in Sebast. adhuc imperfecta leguntur. Scholia quaedam transposita et alieno loco haud dubie e margine, cui addita fuerant, illata sensumque verborum turbantia, suo loco reponit. Interim tamen Sebastiani libidini, scholia saepius e sede veteri eiiciendi inque aliam transferendi, non semper fauet, et, nisi fallimur, iure meritoque, quum interpretes viam non eandem premant semper et persequantur, quae cuique videatur recta esse ac trita, et quae ordini verborum scriptoris pertinaciter inhaereat. Constat, iam Potterum numerum scholiorum, et scholia ipsa, quae editiones exhiberent priores, auxisse, Sebastianum vero e collatis XVI Mss. iterum addidisse plura Potterianis, quorum

multa, immo permulta Codici noſtro cum Vit. 1. deſunt. Neque tamen velim eum putes mutilum et incuria librarii corruptum ac truncatum. Codex enim noſter cum Vit. 1. ſcholia quaedam, quae in Codd. Mll. aliis, et in editt. quae exſtant, pluribus verbis ſunt commemorata, in breuius contrahit: alia, quae paene iisdem et interdum pluribus iterantur verbis, non ſolet iterare: nonnulla loca, inprimis poetarum veterum, ſcholiis quibusdam ſubiecta non ſubiicit: minora adeo quaedam ſcholia, quibus Codd. reliqui ſunt inſtructi, plane omittit. At ne quis hos duos Codd., caeterum praeſtantiſſimos, arbitretur mutilos et imperfectos, tenendum eſt, fontem, e quo hauſerint, plura non habuiſſe, quae in prata ſua deriuarent, et inſequentibus demum temporibus plura, quae Codd. alii et editt. vulgatae praebeant, ex aliis riuis eſſe eo inducta, fontemque ipſum eſſe inde auctum, interdum quoque turbatum. Codd. autem Ciz. et Vit. 1., vt bona, ſic vitia quoque habent communia, e. g. lectiones deprauatas, lacunas, in vtroque tamen plerumque relicto ſpatio, transpoſitos vel omiſſos Lycophronis verſus, vt vv. 242 et 243, 708 et 709, ſcholia traiecta vel praetermiſſa, inprimis longiora, et alia. At ſicut fratres gemelli natu quidem, vultu multisque aliis, non tamen omnino omnibus partibus ſibi ſunt ſimiles, ſic etiam hi duo Codd. ab initio vnum eundemque habuerunt fontem, ſed quum fons iſte deinde diffluëret in varios ac diuerſos riuulos, hinc illinc aliis aquis adfluentibus turbatus profluxit. Differunt itaque, ſed in minutiis, quae non Tzetzarum, ſed gloſſatorum et librariorum eſſe videntur, nullo vero modo a ſe, vt a Vitt. 2 et 3. qui ſecundae haud dubie ſunt recenſionis, et a Codicibus aliis diſcedunt.

Hinc premitur nunc Vit. 1. nunc Ciz. vitiis, iisque plane diuerſis, hinc habet nunc Vit. 1. nunc Ciz. meliora ſibique propria. Sic Vit. 1. bene in Lycophrone v. 319. ἅλμα, v. 547. γάμους, v. 552. ϕηραίοις, v. 608. σπάσονται, v. 868. λογχούρου, v. 878. ἐκβεβριασμένους, Ciz. vero male ἄλσοι, γάμοις, ϕηραίους, ἀποσπάσονται, λογχύρου et ἐμβεβλ σμένους, quae omnia ſunt vitia librariorum. Contra bene Cizenſ. v. 525. κοιράνῳ, v. 664. σκάϕη, v. 786. βομβυλίας, v. 1013. γόργης, v. 1294. πλατιν, Vit. 1. vero male τυράννῳ, σκάϕει, βομβυλείας, γόρτης, πλᾶτιν. Idem, et quidem ſaepius accidit in ſcholiis, in quibus modo hic, modo ille praebet lectiones meliores, modo hic, modo ille addit aliquid, vel omittit. Accidit autem, vt librarii eorum inciderent in verba in Cod. quo vterentur, peſſime ſcripta, vel compendiis ſcribendi obſcurata, vacuo ſpatio relicto, quod caperet ea, neque expleuerunt, neque mutarunt. Librarii contra Vitt. 2 et 3. ingenio vel potius libidini ſuae indulgentes, nullo ſpatio relicto, eiusmodi verba gnauiter videntur correxiſſe, atque ita ſaepe aliena intruſiſſe. Praeterea tenendum omnino videtur, in Codd. Ciz. et Vit. 1. omnia deeſſe, quae carpant Lycophronem, et quae Tzetzae nomen et doctrinam iactitent, quae omnia non Iſaacii, ſed Ioannis Tzetzae eſſe poſtea oſtendemus. Itaque Codd. Vit. 1. et Ciz. ſi comparaueris cum Vitt. 2 et 3. hos ab illis multis diſcedere partibus intelliges. Etenim hi ſaepius et acerbius reprehendunt Lycophronem: nomen et doctrinam Tzetzae verbis magnificis laudant: verſiculos poetarum longe plures quam Vit. 1. et Ciz. oſtentandae doctrinae cauſa allinunt: omnia in Vit. 1. et Ciz. modeſte dicta arroganter dicunt, et prae ſe vbique ferunt κατ' ἐμὲ, ἐγὼ δὲ ϕημί, ἐξρέθη, ὄπισθεν εἶπον: longe

plura quam Vit. 1. et Ciz. praebent, quae quum saepius turbent ordinem verborum, postea, in altera scilicet recensione, interposita videntur: Eudociam saepe reddunt ad verbum, adeo cum vitiis, inprimis Vit. 3. qui quoque saepius cum Phauorino consentit: repetunt interdum rem, in Vit. 1. et Ciz. breuiter commemoratam, pluribus verbis: habent etiam quaedam scholia, quae Vit. 1. et Ciz. ignorant: lectiones exhibent contextui aptiores, et sane dignas, quae praeferantur lectionibus Vit. 1. et Ciz. et quae sine dubio ab eo, qui alteram recensionem edidit, sunt emendatae: desunt vero iis etiam quaedam, quae vel Io. Tzetzes in recensione altera omiserat, vel quae ab aliis glossatoribus post Io. Tzetzam sunt addita. Denique Vit. 3., vt hoc addamus, plerumque, adeo in vitiis, consentit Cod. Baroc. vnde, vtrumque ex eodem fonte hausturn esse, patet. Originem autem suam Codd. Vitt. 2 et 3. debent fonti vni eidemque, pleniori tamen ac diuerso ab eo, e quo fluxerunt Vit. 1. et Ciz. In plerisque consentiunt, in singulis tamen, vt fit, dissentiunt: interdum lectiones Vit. 2. interdum vero Vit. 3. sunt praeferendae; attamen in Vit. 3. lectiones quasdam Vit. 2. non satis aptas paullulum esse immutatas interdum atque emendatas, et hunc aetate superare illum, inde apparere videtur. Neque carent ii vitiis, vel vtrique, vel vni soli propriis.

Quum autem paullo ante Eudociae fecerimus mentionem, eamque secutos esse Codd. Vitt. 2 et 3. dixerimus, liceat iam de hac ipsa, eiusque Dictionario historico-mythologico, quod Ἰωνιά, Violarium, inscripsit, ratione tamen scholiorum nostrorum modo habita, pauca adiicere. Eudociam seculo vndecimo post Christum natum vixisse, et circa annum huius seculi septua-

geſimum ſecundum mortuam eſſe inter auctores conſtat, vnde quoque Violetum ſuum, a Villoiſonio primum in Anecdott. graecis Tom. I. editum, quosdam annos ante, quam ex hac vita diſcederet, conſcripſiſſe eam dubio caret. Etenim, vt e praefatione ipſius Violario praemiſſa patet, id viuo et imperante Romano Diogene, coniuge, cui dedicauit, et qui ao. 1071. eſt interfectus, edidit, et hinc diu ante collecta vndique in ordinem redegiſſe ac compoſuiſſe videtur. Attamen ſunt, vt Heynius in multis locis Obſeruationum ad Apollodorum, et Meinecke in Obſeruatt. in Eudociae Violarium, quas Heerenii et Tychſenii Bibl. vet litterat. et artis Part. V, p. 26. ſqq. et Part. VI, p. 25 ſqq. exhibet, aliique horum duumvirorum auctoritatem ſecuti, qui ſcholia Tzetzarum in Lycophronem, poſt tempora Eudociae demum edita, ab hac exſcripta eſſe opinentur. Quos quidem videtur fefelliſſe ipſe Villoiſonius, qui in Praefatione Eudociae Violeto praemiſſa pag. X. eam mythologica ex interpretibus poetarum graecorum, Homeri, Heſiodi, Theocriti, Lycophronis aliorumque, collegiſſe et diſpoſuiſſe commemorat. Dubitare tamen licet, an hic vir doctus Tzetzarum ſcholia in Lycophr. intellexerit, immo potius eum ſcholia ab interpretibus veteribus in Lycophr. conſcripta, et ab ipſis Tzetzis in ſcholiis ſuis vv. 1017. 1226 et 1446. laudata intellexiſſe veriſimillimum eſt. Eudociam autem ipſam fuiſſe priorem fratribus Tzetzis, atque Violetum, antequam ſcholia Tzetzarum in Lycophr. ederentur, conſcripſiſſe, iam Cenſor Violeti in Bibl. Crit. Vol. II. P. III. p. 7. his docuit verbis: *Nam Euſtathius et Tzetzes fuerunt quidem poſt Eudociam, ſed ex iisdem, quibus illa, veterum fontibus hauſerunt;* nos autem eam non tantum ex vno eodemque fonte cum Tzetzis,

sed etiam hos e Violeto eius antea iam vulgato plura hausisse, saltem haurire potuisse, et multa loca scholiorum Tzetzianorum ex Eudociae Violeto, atque Eudociae Violeti e scholiis Tzetz. emendari, immo quoque expleri posse, iam commonstrare tentabimus. Nec est, quod nos impediat, quominus Tzetzas, inprimis Ioannem plura, in quibus discrepat a fratre Isaacio, h. e. a prima scholiorum recensione Codd. Vit. 1. et Ciz., debere Violeto Eudociae credamus, quod nunquam in scholiis fecerint eius mentionem, nam ne vnius quidem Grammatici et scriptoris, qui eadem aetate vel paullo ante eos vixit, et quem compilarunt, exceptis scriptoribus veteribus, in scholiis meminisse sustinuerunt. Idem vero etiam cadit in ipsam Eudociam, quae et ipsa, forsan de more istius aetatis, nusquam memorat auctores, quorum loca congesta in Violetum suum transtulit. Nos scholia Tzetziana conferentes cum Eudocia animaduertimus, hanc quam plurima, adeo ipsius Lycophronis verbis, narrare, quae non nisi in eius Alexandram cadant, vt ad vv. 57, 61, 62, 355 et 831, collat. Eudoc. p. 314, 329, 322 et 84, quae quis dubitat quin Eudocia debeat veteribus Lycophronis interpretibus? Affert adeo versum Lycophronis, cui tamen inter reliquos poetas ab ipsa laudatos locum non dedit, p. 258 l. 18: *Βύμης κατα-λήκτηριον αὐλίσκον*, sine dubio corruptum, nam, vt exhibet eum, in Lycophrone, qui meminit Βύνης v. 107 et 757, non legitur, nec legi potest. Dubia, quod omnino tenendum videtur, est fides Eudociae, vti Tzetzarum, vbi loca scriptorum laudant, quos non ipsi consuluisse, sed ex aliis Grammaticis cognouisse, et quorum loca iam ab his corrupta in libros suos videntur transtulisse. Sic Eudocia p. 606. a Lycophrone tradit Typhonem vocari *ἐλάτην ἐκατογκεφάλων*, i *καλάμου θήκην καὶ κατανυκτίδιον τῶν Δι-*

quo l. vero Lycophron plane ignorat. Idem Tzetzae ad v. 177. ar ant auctoribus Pindaro et Aeſchylo, vel ab Eudocia, quae quoque horum poetarum ſequitur auctoritatem, vel a veteribus Lycophronis ſcholiaſtis decepti. Codd. Vit. 1. et Ciz. raro, Vitt. 2 et 3. fere ſemper ſequuntur Eudociam. Vnde fit, vt, vbi hi cum Eudocia errant, et lectiones plane corruptas praebent, illi lectiones exhibeant optimas; vbi hi ſingula vel plura omittunt cum Eudocia, illi lacunas iſtas expleant; contra vero, vbi hi cum Eudocia lectionibus ſunt ornati bonis, illi eas corrumpant, et, vbi hi dant plura eaque meliora cum Eudocia, illi male ea omittant. Quis itaque eſt, qui non inde intelligat, Iſaac. Tzetzam in Vit. 1. et Ciz. qui principem contineant recenſionem, Eudociam, forte ipſi nondum cognitam, non eſſe ſecutum, neque ex eo fonte, e quo Vitt. 2 et 3. hauſerint cum Eudocia, Ioan. vero Tzetzam in Vitt. 2 et 3. h. e. in recenſione poſteriori vel ex ipſa Eudocia, vel ſaltem ex eodem fonte, h. e. ex vett. Lycophronis ſcholiaſtis ſua hauſiſſe? Interim tamen, quum Eudociae Violetum ante iam, quam Io. Tzetzes componeret recenſionem alteram, exſtiterit, et Vitt. 2 et 3. cum Eudocia vitiis ſaepe premantur iisdem, quae nullo modo ſcriptorum, ſed librariorum eſſe poſſint, facile inducor, vt Io. Tzetzam in recenſendis et emendandis Iſaacii fratris ſcholiis Eudociam potius, certe ſaepius, quam veteres ſecutum eſſe ſcholiaſtas credam. Occurrunt quoque loca in Vitt. 2 et 3. quae omnia ex Eudocia ad verbum repetunt, verbis modo interdum paucis aucta, e. g. ad v. 69. *που καὶ ἐν τῷ γάμμα*, vbi Eudocia bene modo *που*, omiſſis *ἐν τ. γ.* et ſine dubio a Io. Tzetza additis, et ſic quoque in aliis locis: quae cum poſtea demum adiecta videantur, Eudociam aetate priorem fuiſſe fit veriſimile. Neo multum abeſt, quin,

cum Vit. 3. vestigia Eudociae magis premat, quam Vit. 2., et lectiones quasdam exhibeat cum Eudocia exquisitiores, a Io. Tzetza scholia iterum iterumque perlustrata, et praeeunte Eudocia esse emendata credamus. In quibusdam vero locis, vbi Eudocia sola videtur sapere, Io. Tzetzes ab ea recessit, et haud dubie ea, quae dabat, aliis debuit. Habet itaque Eudocia, quae inserviant emendandis Tzetzarum scholiis; habent vero etiam Codd. nostri, Vit. 1. inprimis et Ciz., quae Eudociae vel a librariis, vel, vt mihi videtur, a typographis quoque corruptae consulere, eamque ad integritatem suam reuocare possint. Quae vero sint eiusmodi loca, notae scholiis subiectae docebunt.

Phauorinus quoque a nobis saepe in notis laudatus magis recensionem posteriorem scholiorum Tzetzianorum, inprimis vti eam Vit. 3. praebet, quam priorem Vit. 1. et Ciz. videtur esse secutus. Hunc autem constat Lexicon suum ornasse non interpretationibus verborum, locorum et rerum, quas ipse perlegendis diligenter et tractandis scriptoribus graecis cognouerit, paullatimque digesserit, sed vndique bona mala, integra corrupta, multa etiam sine iudicio atque festinanter in id congessisse, quod ipsi iam conferentes eum cum scholiis nostris videmur plane perspexisse. Tam multa autem debet scholiis in Lycophr. Tzetzianis, vt, si accideret aliquando, vt ea perirent, ex eius Lexico restitui posse fere omnia persuasum habeamus. Quae quum ita sint, facile intelligitur, multa esse Phauorino, inprimis in locis, vbi auctoritate Lycophronis vtitur, quae ad scholia Tzetzarum saepe a librariis deprauata emendanda, omissa in iis supplenda, atque lectiones eorum veras confirmandas, falsas vero corrigendas bene adhiberi possint. Sic praebet lectiones ab omnibus Codd. Mss. et

editt. alienas, easque veriſſimas et contextui aptiſſimas, ut ad v. 15. n. 6. ἱππικῶν ἀγώνων pro ἱππικῶν, v. 55. ἢ φλοιδούμενος pro καὶ φλοιδ. v. 80. ῥίω pro ῥήματος: v. 260. bene ſupplet ἀετός: v. 786. verbis δὶ καὶ — δίφθογγος γραφόμενα bene ſubiicit ſolus οἷον, et al. Confirmat etiam lectiones meliores Codd. Vitt. 2 et 3. vt ad v. 79. ἄμαθον pro ἄμμον, v. 796. ἐκεῖ pro ἐκεῖνος. Phauorinum autem plerumque cum Codd. noſtris, inprimis Vit. 3., vt ad v. 49. ἀπηθανατίσθη pro ἀποθανίσθαι, οὖσαν pro εἶναι, et τὴν κῆρα pro τὴν μοῖραν, et multis aliis in locis conſentire, interdum tamen etiam ab iis diſſentire, quum exempla conſenſus huius et diſſenſus vbique in notis proſtent, non attinet iam pluribus oſtendere. Cauendum tamen ei erit, qui eius auctoritatem velit ſequi, ne cum ipſo, ſaepe feſtinanter et oſcitanter aliorum Grammaticorum ſcholia exſcribente, temere labatur. Non raro enim feſtinatione eius accidit, vt Grammaticorum aliorum ὡς ἔφην, ὡς προεῖπον, κατ' ἐμὲ adderet, tanquam id, quod hi explicarunt, ſuum ipſius eſſet, vt ad voc. ἱπποτόκτων, coll. ſchol. Tzetz. ad v. 930. Accidit adeo, vt plane aliena ſcholiis ſuis allineret, et quae eſſent non ſcholii ab eo exſcripti, ſed ejus, quod in auctore, quo eſt vſus, mox ſequebatur: cff. quae obſeruata ſunt ad v. 270. vbi ad τρυτώνης adiicit αὖθις· εἰς τοὐπίσω, quod pertinet ad verſ. ſeq.: ad v. 522. Δρύμας interpretatur in Lexico ſuo, vti Tzetzes, ſed cum eodem quoque addit interpretationem voc. πρόφαντος, quod plane nil facit ad Δρύμας: ad v. 867. κωλῶτις· κωλὶς — γῆ miſcet cum ſchol. Tzetzae ſeq. καὶ Ἀλεντίη — quod nil habet, quo κωλῶτις explicetur.

Supereſt, vt nunc de auctore ſcholiorum noſtrorum, et de recenſione eorum duplici, cuius ſaepius mentionem fecimus, ita exponamus, vt quisque de iis rectius, quam adhuc factum eſſe videtur, iudicare poſſit. Iam olim

omnes fere, iique viri doctiſſimi, vt Küſterus, Potterus et Bentleius ad Horat. p. 45. quorum auctoritatem quoque ſecutus eſt Seb., epiſtola Io. Tzetzae ad Protonotarium Baſilium (Seb. male: regium) Achridenum ſcripta et a Lud. Küſtero e Cod. Pariſ. primum in lucem edita, confiſi, ſolum Io. Tzetzam eſſe eorum auctorem exiſtimarunt, multique adhuc ſunt, qui vel iis conſentiant, vel rem, ſane dubiam, in medio relinquant. Equidem quum haec ipſa ſcholia nondum, vti iam factum eſt, tractaſſem, dubius quoque haerebam, ad quorum partes transirem, auctoritate tamen antiquitatis, quae vno conſenſu Iſaacium Tzetzam eorum auctorem nominat, adductus, ſemper eo inclinabam, vt iis magis, qui haec ſcholia ab Iſaacio, quum qui a Io. Tzetza arbitrarentur ſcripta, fidem habendam eſſe putarem. Diligenter autem collatis his ſcholiis et Codd. Mſſ. inprimis Vit. 1. et Ciz. cum Vitt. 2 et 3. et reliquis, quos Sebaſt. tractauit, deprehendiſſe videor, erraſſe et hos, qui Iſaacium, et illos, qui Io. Tzetzam ſolum ea compoſuiſſe opinarentur. Vtrique ſane multa habent, quibus ſententiam ſuam tueri poſſint. Qui enim cauſam Iſaacii Tzetzae agunt, teſtimonio vtuntur et Codd. omnium, adeo vetuſtiſſimorum, qui eum horum ſcholiorum auctorem fuiſſe inſcriptionibus arguunt, et ipſius fratris Ioannis, qui ea in Prolegg. ad Heſiod. illi verbis non ambiguis tribuit: *καὶ τῷ ἐμῷ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει·* ii vero, qui in diverſum abeuntes Ioannem eorum auctorem eſſe contendunt, teſtimoniis quoque, iisque grauioribus in hac re vti videntur. Laudant enim auctoritatem ipſius Io. Tzetzae in Chiliad. IX, 961. *ἐν τοῖς εἰς Λυκόφρονα ἡμῶν ὑπομνήμασι*, coll. VIII, 486. laudant epiſtolam eiusdem inſcriptionem nominatam, argumenta petunt a ſimilitudine ratio-

nis dicendi, fabulas enarrandi, allegorias fingendi et ſingula verba explicandi, quae in aliis eius libris dominatur, vt etiam ab oſtentatione et ſuperbia, qua, ſicut in aliis ab eo editis libris, ita etiam in his ſcholiis doctrinam ſuam glorioſe extollit, aliorum vero per contemtum deprimit. Non erant adhuc inueſtigata momenta, quae haec plane ſibi repugnantia conciliarent, neque erat quispiam, qui huic repugnantiae ita occurreret, vt parti ſatisfaceret vtrique. Tentabimus itaque (abſit autem verbo inuidia!) hanc diſcordiam, quantum fieri poſſit, componere, atque oſtendere, vt e Codd. noſtris perſpexiſſe videmur, neque Iſaacium, neque Io. Tzetzam ſolum, ſed ambo fratres fuiſſe, qui coniuncta opera componerent haec ſcholia, ita tamen, vt Iſaacius ea primum ederet, Ioannes vero recognoſceret, emendaret ac multis partibus augeret. Liceat ergo ea, quae Iſaac. edidit, primam, ea vero, quae Ioannes recenſendo et emendando addidit, alteram nominare recenſionem. Atque quod ad epiſtolam Io. Tzetzae ad Basilium Achridenum miſſam attinet, quae viros doctos primum turbaſſe et in cauſa fuiſſe videtur, vt Iſaacium auctoritatis laude fraudarent, neſcio quid fraudis et oſtentationis ſubeſſe ſemper ſuſpicatus ſum, et ſane ſuſpicari licet. Etenim quis ſcit, annon ſpuria, ſaltem a Io. Tzetza oſtentatore, de dignitate cuiusque, adeo ipſius fratris, orta inter ipſos discordia [c]), vel Iſaacio iam mortuo [d]), ſit ficta, et ita ſubornata, vt opus fratris a ſe emendatum multisque partibus auctum ſibi ſoli vindicaret? Deinde ſane eſt, quod mireris, Io. Tzetzam,

c) cf. Iacobs ad Io. Tzetz. Homer. v. 143. ſqq. et Poſthomer. v. 282.

d) nam praematura morte extinctus dicitur, cf. Potter. Comment. in Lycophr. ab initio.

captatorem cuiuscunque gloriolae, ſuique vnius ingenii admiratorem, tam liberalem fuiſſe, ſuique tam immemorem, vt librum a ſe compoſitum beneuolentiae modo et amicitiae cauſa alius auctoris nomine ornari pateretur. Fingas autem, eum id vere feciſſe, an hoc quoque eſt beneuolentiae, poſtea palam et per litteras declarare, ſemetipſum, non vero illum, qui putaretur, eſſe huius libri auctorem? nonne huius beneuolentiae illiberalitas exiſtimationi fratris magis nocuit, quam profuit? Vt vt ſit, res eſt dubia, immo fide vix digna. Sunt, qui putent, Io. Tzetzam in Chiliad. VIII, v. 487 ſqq. plagium fratri clam exprobraſſe, qui ἐξήγησιν ab ipſo in Lycophronem factam, tum cum diſcipulis Lycophronis Alexandram expoſuiſſet, quaſi ſuam venditauerit. Verum, vt mihi videtur, hi verſiculi non Iſaac. Tzetzam, qui non nominetur, ſed alium quendam huiuscemodi furti accuſant, quin potius, ſi ſpectaueris v. 486.: Ἀλεξάνδρᾳ, εἰς ἣν ὁ Τζέτζης (nonne Iſaacius?) ἔγραψεν ἐξήγησιν, auctoritatem eius tuentur. Nec verba loci alterius Chiliad. IX, 961. ἐν τοῖς εἰς Λυκόφρονα ἐμοὶ ἐξηγηθεῖσι, Iſaacium plane priuant iure ſuo, ſed Ioannem participem eius quoque eſſe et eſſe poſſe modo innuunt, ita vt coniuncto ſtudio et Iſaac. et Io. Tzetzes haec ſcholia conſcripſiſſe dici poſſint. Neque ſumus ii, qui Ioannem velimus defraudare iure ſuo, immo eum aeque bene, forte melius etiam, ac Iſaacium, de Lycophronis Alexandra meritum eſſe contendimus. Multa enim habent haec ſcholia, quae Ioannis eſſe ita demonſtrent, vt, qui negare audeat, plane caecutire videatur. Id autem omnes, qui hunc commentarium ei ſoli tentarunt attribuere, iam perſpexerunt, exemplisque ex eo et aliis Io. Tzetzae libris allatis confirmarunt, cff. quae Pott. in ed. 2. commentario in Lycophr. et Iacobs Io. Tzetzae Iliacis p. XV. praemiſerunt; nos

autem Iliacis eius, ſcholiis in Heſiodum, inprimis vero Chiliadibus collatis cum his ſcholiis non poſſumus non iis aſſentiri. Notae a nobis ſcholiis ſubiectae, inprimis horum loca, quae iisdem vitiis, quibus Io. Tzetzes in reliquis ab eo conſcriptis libris eſt obnoxius, vt ad v. 649. Ἄβδηνα, coll. Chill. II, 339. ſunt contaminata, vel quae eadem iisdemque verbis praebent, laudata adeo eorum interpretatione in Lycophronem, vt ad v. 84. coll. Chil. IX, 961. rem ita firmant, vt dubitationi locus relinquatur plane nullus. Sed ſuum cuique. Plerique quum aetate noſtra Io. Tzetzam ſolum eſſe horum ſcholiorum auctorem exiſtiment, noſtrum iam eſſe videtur, vt Iſaacii cauſam tueamur, eique poſtliminium eſſe oſtendamus. Non autem dubitandum eſt, omnes eo tempore, quo haec ſcholia primum edebantur, certo credidiſſe, immo ſciuiſſe, ea ab Iſaacio Tzetza fuiſſe compoſita. Omnes enim Codd. Mſſ. ne vno quidem excepto, nomen eius fronti inſcriptum exhibent, idque etiam poſtea, quum a fratre Ioanne eſſent emendata ſcholia atque aucta, conſtanter cum editt. adhuc vulgatis ſeruarunt vsque ad aetatem noſtram, qua Sebaſt. editionem ſuam inſcripſit: Λυκόφρονος Κασσάνδρα, τὸ σκοτεινὸν ποίημα, καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο Ἰσακίου, μᾶλλον δὲ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου ἐξήγημα. Conſentiunt quoque Hexaſticha et Tetraſticha Lycophroni praemiſſa, et in laudem Iſaacii, ſcholiorum auctoris, facta. Quum pater Tzetzarum, auctore ipſo Ioanne filio in Chil. III, 157 ſqq. quaſi alter Cato omnia egiſſe commemoretur, vt ingenium Ioannis omnibus diſciplinis liberalibus excoleretur, non dubium eſt, quin quoque Iſaacium, filium alterum, qui poſtea in vrbe Berrhoea munere ἐπαρχίας eſt functus, iisdem diſciplinis et artibus erudiendum curauerit, ita vt libris ad has litteras ſpectantibus deinde componendis operam dare poſſet. Hu-

ius vero doctrina cum aequalibus innotuiſſet, nemo eorum tunc videtur extitiſſe, qui, cum haec nomine eius ornata ſcholia ederentur, ipſum eorum eſſe et eſſe poſſe auctorem dubitaret. Traditur autem non tantum concinnaſſe ſcholia in Lycophronem, ſed etiam in Pindarum, quae dicuntur recentiora, cff. ſchol. Pind. Olymp. XIV, 34. ad extr. Heyne in Praef. Pindaro praepoſita Vol. I. p. 55. et Fabric. Bibl. Gr. Vol. II, p. 66. et Vol. III, p. 752. atque verſus iambicos de ortu et occaſu aſtrorum a nemine adhuc commemoratos, et nondum typis excuſos. Cod. Mſ. huius poematis aſſeruatur in Bibl. regia Monacenſi ſic inſcriptus: *Ἰωαννίου Τζέτζου στίχοι περὶ ἀνατολῆς καὶ δύσεως τῶν ἄστρων ἰαμβικοί*, quemadmodum Ignat. Hardt in Catal. Codd. Mſſ. illius biblioth. ad n. 287. docuit. Accedit huc, quod Ioannes ipſe eruditionem fratris praedicat, eique haec ſcholia in Prolegg. ad Heſiod. verbis ſupra iam commemoratis tribuit. Neque tamen, quum Ioannes hoc opus ſub nomine Iſaacii edidiſſe, et honori fratris tribuiſſe putetur, auſus fuiſſem affirmare, Iſaacium operis fuiſſe ſocium, immo id occupaſſe, niſi alia certiora, et ex ipſis ſcholiis eorumque Codd. Mſſ. petita, afferri poſſent argumenta, quae omnem remouerent dubitationem. Iam paullo ante, cum de Codd. noſtrorum natura et diuerſitate agebatur, dictum eſt, Codd. Vitt. 2 et 3. cum editionibus, quae nunc exſtant, longe plura, quin etiam interdum meliora Vit. 1. et Cizenſi, et ideo recenſionem poſteriorem ſcholiorum, vt Vit. 1. et Ciz. priorem continere. Quae vero discrepantia et rerum et verborum eſt tanta, vt componi nequeat, niſi ſumas, vel potius concedas, duo fuiſſe, qui haec ſcholia diuerſo plane modo ac tempore conſcriberent atque recenſerent. Leges modeſtiae, qua auctor cuiuscunque, adeo optimi libri, de ſe deque meritis ſuis loqui ſolet ac debet, Io.

Tzetzes in Chill. ſuis plerumque inſolenter violat, atque vbique nomen ſuum, clariſſimum quaſi et fulgore ſuo omnia alia ſuperans, pro oſtentatione ſua ingerit. Non ſufficit ei diuerſa ſequenti modo dicere: ἐγὼ φημὶ, κατ' ἐμὲ, ſed non pudet eum etiam dicere: ὁ Τζέτζης φησί, κατὰ τὸν Τζέτζην. Idem facit in ſcholiis, quae exhibent Codd. Vitt. 2 et 3, e. g. ad v. 53. εἴπερ ὁ Τζέτζης θέλω γράφειν: ad v. 719. ὁ Τζέτζης γράφει: ad v. 727. γράφων ὁ Τζέτζης φησί: ad v. 796. ὁ Τζέτζης γράφει καὶ λέγει, et ad v. 798 et 805. vbi ter nomen Tzetzae repetitur. Ab hac vero inſolentia plane abſtinent Codd. Vit. 1. et Ciz. omiſſo in omnibus his locis Tzetzae nomine, atque vbi Vitt. 2 et 3. venditant ſuum: ἐγὼ δὲ φημὶ, et κατ' ἐμέ, Vit. 1. et Ciz. modeſte habent vel ἤ v. 813. et κατὰ τοὺς λοιποὺς v. 1048, vel, ne ſibi quidquam arrogare videantur, plane omittunt, vt vv. 886, 999, 1042. et all. locc. Nonne inde apparet, in illis ſuperbire arrogantiam Ioannis, in his vero ſe demittere modeſtiam Iſaacii Tzetzae? Legenti quidem primum loca quaedam, quae nominis Tzetzae faciunt mentionem, in mentem venit cogitare de Iſaacio, a fratre Ioanne vel laudato, vel emendato; verum omnibus locis et Chiliadum et ſcholiorum in Lycophronem congeſtis comparatisque, Ioannem nomen ſuum vbique oſtentationis cauſa venditare intellexi. Vnus modo locus in Vitt. 2 et 3. reperitur v. 17. num. 80. vbi Ioannes fratrem ſocium laboris his verbis: οὕτως ἡμῶν δοκεῖ τοῖς Τζετζίοις videtur innuiſſe, at modo videtur, nam quum non τοῖς Τζέτζαις, ſed τοῖς Τζετζίοις dicat, τὰ Τζέτζια quoque, ſi verbum a librariis non eſt corruptum, poteſt eſſe: *interpretatio Tzetzae, vti explicat Tzetzes*, κατὰ τὰ Τζέτζια. Legendum tamen omnino videtur τοῖς Τζέτζαις, et referendum ad ſolum Ioannem arroganter ſe efferentem. Vit. 1. et Ciz. modo

exhibent οὕτως ἐμοὶ δοκεῖ, quae erat prioris recenſionis lectio. Praeterea quum Io. Tzetzes ſolus ſapere ſibi videretur, et omnibus aliis ſe doctiorem ac ſapientiorem eſſe opinaretur, vt e quam plurimis patet locis Chiliadum, quorum modo duo ſatis eſt hic afferre e Chiliad. II, 31 et 609. vbi adeo Pindarum et Antiſthenem meliora docet his verbis: οὐχ οὕτως ἔχει, Πίνδαρε, μάθοις δ' ἂν τοῦ Τζέτζου, et: ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ, Ἀντίσθενες, ὁ Τζέτζης ἄρτι βλέπω, non mirum, eundem ſui oſtentatorem, aliorumque, ſic etiam Lycophronis, reprehenſorem et calumniatorem prodiiſſe in ſcholiis noſtris, ſeque eo ſapientiorem oſtendiſſe. Vbique iactitans peritiam hiſtoriae fabularis, Geographiae et rationis metricae acerbe ſaepe inuehitur in Lycophronem, a quibus conturneliis et iniuriis Vit. 1. et Ciz. vel plane abſtinent, vt e pluribus patet locis, quae hic repetere non attinet, vel ita ſibi temperant, vt nihil ſibi arrogare videantur, vt Vitt. 2 et 3. v. 616. ὁ δὲ σοφὸς οὗτος ὁ Λυκόφρων, οὐκ οἶδ', ποίᾳ ἀδείᾳ, ſed Vit. 1. et Ciz. modeſte, ὁ δὲ σοφὸς οὗτος Λυκόφρων, οὐκ οἶδ', ὅθεν, et v. 1146. Vitt. 2 et 3. τὴν Λάρισσάν κακῶς λέγει Λάρυμναν, Vit. 1. et Ciz. ἡ τῶν Λάρισσα καλουμένη. Quis eſt, qui non in his agnoſcat modeſtiam Iſaacii, in illis vero magniloquentiam Io. Tzetzae, vbique fratris molliter dicta poſtea exaſperantis? Quae Iſaacii modeſtia nos quoque adduxit, vt ſcholia in Pindarum recentiora, quorum auctor ad Olymp. XIII, 74, p. 455. ed. Heyn. in Lycophronem ſe commentatum eſſe commemorat, et in quibus, vt in Codd. Vit. 1. et Ciz. nihil reperitur, quod arrogantiam arguat, non Ioannis, vbique ingenio ſuo indulgentis, ſed Iſaacii Tzetzae eſſe credamus. Alia quoque reſtant, quae ab Iſaacio haec ſcholia primum edita, a Ioanne vero deinde repetita et aucta eſſe oſtendant.

Multa autem ſcholiis noſtris in Vitt. 2. et 3. eſſe addita, quae abſint a Vit. 1. et Ciz. iam ſupra paucis diximus. Ea vero additamenta eſſe Io. Tzetzae, inde apparet, quia eadem tradit vel in Chiliadd. e. g. in ſcholiis ad v. 488. ad extr. φασὶ δὲ τινὲς — ανὸς, coll. Chill. VII, v. 71. ad v. 511. verſus Staſini, coll. Chill. II, 711. ad v. 1206. ἀπὸ Ῥηγίου et ἰταλὸν γὰρ Τυρρηνοὶ τὸν ταῦρον καλοῦσι, coll. Chill. II, 343 et 345. ad v. 1432. ad extr. ταῦτα μὲν vsque ad v. 1437. coll. Chill. I, 32. vel in ſchol. ad Heſiod. vt ad v. 1204. πλανηθεὶς vsque ad βαθυδίνην εἰσὶ, coll. Heſiod. p. 50. edit. Heinſ. vel in Poſthomericis, vt ad v. 930. κατ' ἐμὲ κγ'. coll. Poſthom. v. 642. Longiores ῥήσεις a Vit. 1. et Ciz. omiſſae, vt ad v. 818. ἀλλὰ τὴν Ὀδυσσέως vsque ad v. 820. quum Ioannes non haberet, quod fratris interpretationi adderet, eamque emendaret, ideo etiam longe pauciores praebent lectiones varias. Deinde Vitt. 2 et 3. habent plura quam Vit. 1. et Ciz. in iis locis, vbi Eudociam videntur exſcripſiſſe, quam Iſaac. in prima editione nondum eſt ſecutus, ſed ad v. 829. cum Eudocia, a qua raro discedunt, pauciora quam Vit. 1. et Ciz. cff. quoque ad v. 45. n. 27. vbi ἡλίου, et v. 175. n. 151. vbi τὴν τοῦ Ἕκτορος θυγατέρα abeſt, quod tamen contextus poſtulat. Ne dicam, vt in multis notarum locis eſt monitum, multa in Vitt. 2 et 3. eſſe repetita et aucta, quae Vit. 1. et Ciz. breuiter attigerunt, multa quoque eſſe poſtea interiecta, quae orationem turbent et diſtrahant, vt ad v. 1278. ὥσπερ — Ἀρκάς. Atque quot loca poetarum, et quot ſcriptores et poetas laudant Vitt. 2 et 3. quos Vit. 1. et Ciz. ignorant! Omnia haec oſtentandae eruditionis cauſa Io. Tzetzes addidit, quae, ne quis ab eo omnes laudatos ſcriptores eſſe perlectos credat, vndique ex aliis ſcriptoribus et Grammaticis congeſſit; nam ne veriſimile quidem eſt, vt Iacobs in notis

ad Iliaca eius carmina abunde docuit, eum poetas, qui aetate eius iam periisse videantur, inspexisse aut legisse. Conferas quoque, si tibi videatur, *Bibliothek der alten Litteratur* IV, p. 12. Anecdott. et Heyne in Praefat. ad Apollod. p. LII. Nec desunt loca in scholiis, quae, cum rebus a Io. Tzetza in aliis libris traditis plane repugnent, Isaacii esse videantur. Sic ad v. 38. filii Herculis telo interfecti, sed in Chiliad. II, 229. in ignem coniecti dicuntur: ad v. 323. Orion dic. filius Iouis, vel Apollinis, sed in scholl. ad Hesiod. p. 136. filius Hyriei, et al. Quae nullo modo possis conciliare, nisi statuas, Io. Tzetzam, hominem, vt ipse refert in Chiliad. I, 277. οὐδὲ γὰρ μνημονίστερον τοῦ Τζέτζου θεὸς ἄλλον Ἄνδρα τῶν περὶ τε καὶ τῶν σὺν ἐξέφηνεν ἐν βίῳ, vel sui immemorem sibi ipsi non constitisse, vel, quod verisimilius videtur, quum Vit. 1. et Ciz. hic consentiant cum Vitt. 2 et 3. dicta primum ab Isaacio non mutasse, sed integra ei reliquisse et intacta. Denique, quod non paruum ad sententiam nostram confirmandam habet momentum, Codd. Vitt. 2 et 3. hinc illinc ornant tam exquisitae, et contextui tam aptae formularum et verborum lectiones, quas Vit. 1. et Ciz. ignorant, vt quisque, eas non deberi, nec deberi posse librariorum libidini, facile perspicere possit. Sic in Hypothesi n. 40. ἴτεμον pro ἵπλητον; ad v. 51. n. 53. εἱμαρμένη pro εἱμαρμένης; ad v. 85. n. 15. ζῶον pro κῆτος; ad v. 143. n. 11. διεπόνουν pro περιῆγον; ad v. 176. λέγουσιν pro λεροῦσιν; ad v. 831. ἐμπαγεῖσαι pro ἐμπεσοῦσαι; ad v. 850. ῥιπαῖοι pro νέοι; ad v. 1234. κάπυς et κάπυος pro κάπης et κάπητος; ad v. 1263. ἐλευθερωθεὶς pro ἐλευθερώθη καί; ad v. 1278. διῆγον αἱ σίβυλλαι pro διῆγεν ἡ σίβυλλα; ad v. 1332. πολεμῆσαι καὶ pro τολμῆσαι; ad v. 1379. περιελεύσατο pro περιέλευσε, et all. E quibus hactenus dictis nobis videtur satis apparere, duas esse scholiorum nostrorum recensio-

nes, priorem Iſaacii, poſteriorem vero Io. Tzetzae, atque ideo Σχόλια Ἰσαακίου καὶ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου inſcribenda curauimus. Melius itaque Io. Tzetzes et ſuae et fratris famae conſuluiſſet, ſi ſibi non totum vindicaſſet opus, ſed, ſe fratris commentarium in Lycophr. recenſuiſſe, emendaſſe multisque partibus auxiſſe, aperte et ingenue eſſet confeſſus. Interim omnino eſt dolendum, a Seb. Paraphraſin Lycophr. graecam, cuius locum in Praef. excerpſit longiorem, et ſcholia vetuſtiora, quae Ori, Grammatici veteris, eſſe putat, in biblioth. Vat. ſeruata, in lucem non eſſe edita; quae vero, vt exiſtimationi Tzetzae conſuleret, eheu! non edidit. Nam haud dubie, quod Seb. ne auguratus quidem eſſe videtur, multa habent, quae ad Lycophronem ipſum explicandum et emendandum, et ad ſcholia Tzetzarum penitus cognoſcenda, eorumque originem indagandam faciant, atque facere poſſint.

Caeterum ſi quid humani in hac Lycophronis et ſcholiorum Tzetzianorum editione paranda mihi acciderit, vereor autem, ne multa in tanta rerum et verborum copia ſint futura, iudices etiam atque etiam precor, erranti, ξύγγνωμον γάρ ἐστι τὸ ἀκούσιον, humane quoque ignoſcant, ſibique perſuadeant, ipſos me in rectam viam beneuole reductum et meliora edoctum maximo obſtricturos eſſe beneficio.

Eſt denique a me praedicanda humanitas et benevolentia Schaeferi, Prof. Lipſ. celeberrimi, cuius cura et diligentia contigit, vt hic liber a peccatis operarum, quantum fieri poſſet, purgatus prelum relinqueret.

Scribebam Cizae menſe Maio MDCCCXI.

PRAEFATIO SEBASTIANI

AD LECTOREM BENEVOLUM.

Quod in humanis mortalium mentes mire afficit, atque ad se vnum veluti praecipuum studia hominum mira nescio qua occultaque vi, magnetis instar, indiscriminatim attrahit, sacra illa est, erudite ac beneuole Lector, semperque *) laudabilis claresscendi libido. Id, quod *splendorem* Mundi non male nec inficete quidem dixeris, quantum ipsam hactenus humanitatem iuuerit, quantumque humanae societati adiumenti allaturum sit, cum memoria temporum plane docet, tum hodierna potissimum experientia palam arguit, ita vt parergon omnino sit, verbis velle probare.

Inter illustres, et, in poetica praesertim facultate, magni nominis viros, qui aurea illa, quam effecerunt, Ptolemaeorum, Lagidae, Philadelphi et Euergetae aetate floruere, non vulgarem locum tenet insignis Grammaticus simul et Tragicus poëta ex Chalcide Euboeae Lycophron, Soclei et per adoptionem Lyci Rhegini filius. Is circa Olympiadem centesimam decimam nonam in

*) Laudabilis quidem, modo ponatur finis rectus, hoc est, Dei gloria inuandique voluntas: secus execrabilis.

lucem editus, diligentique inſtitutione primo apud parentem non ex ignobili rudique vulgo, mox apud Lycum, eximium virum et hiſtoricum clariſſimum (qui adoleſcentis egregiam indolem miratus, in familiam ſuam adoptarat) educatus, poſteaquam non paruum eruditionis ſuae dederat argumentum, Alexandriam, Muſarum tunc temporis domicilium (Rex enim, litterarum amantiſſimus, litteratos omnes, qua erat comitate, munificentia, humanitate, benigne excipiebat, liberaliter fouebat, ſuauiter excitabat, magna cum regni ſui vtilitate et ſplendore. Et ſane, quid in rege aut principe pulchrius videri poteſt, quam ornamenta illa conſpicere, quae ad perpetuandam celebrem nominis memoriam faciunt, quaeque ſubditos veluti manu ad omne honeſtatis exemplar conducunt, quales Plato in republica bene conſtituta deſiderat? Et vnde, ſodes, maior populorum felicitas, niſi ex litteris, quae a barbaris, a feris nos diſcernunt? O quantum Principum intereſſe deberet, hae bonarum artium legiones ne opprimerentur, mundi, dum florent, robur et decus!) Alexandriam igitur ſe contulit annos natus ſupra triginta, Philadelpho Aegyptum feliciſſime moderante. Haud mora fuit, quin poeta noſter ciuitati innoteſceret, complures, nec humiles illas aut inficetas, fabulas docendo; atque immortalis regis fauorem ſibi pareret, compoſito in illum, praeter alia in Optimates ipſamque reginam Arſinoën, anagrammate, quo Ptolemaeum ἀπὸ μέλιτος, id eſt, mellitum et ſuauem, eleganter appellabat.

Gratus iam regi, atque in conſortio conuiuiisque ſaepiſſime et ipſe adhibitus, quin etiam inter ſeptem Tragicos aeui ſui praeſtantiſſimos (quibus propter numeri aequalitatem Pleiadum nomen fuit inditum) omnium calculis relatus, conſilium inire coepit, qua po-

tiſſimum ratione poſſet ſe vel ſupra aemulos inſignire, qui quotidie qua ſermonibus, qua ſcriptis alterna aemulatione ſe euehere, et regis gratiam ſibi ſtudioſiorem conciliare, enitebantur. Hinc Callimachi exemplo motus, qui, quod poema illud de cauſis variarum fabularum, rituum et antiquitatum recens edidiſſet obſcuriſſimum, paſſim celebrabatur; ad tale opus concinnandum intenſiſſimum animum adhibere optimum duxit, quod vulgus, proceres, regem ipſosque apprime aemulos percelleret. Sumpto igitur de Priameiae virginis Caſſandrae vaticinio ſuper patrias clades praeſentiſſimo argumento, monodiam quandam tragicam, fabulis, hiſtoriis, documentis nobiliſſimis permixtam, qua potuit obſcuritate iambico carmine contexuit, numine afflatam vatem, atque in tenebricoſae carceris repagulis paene furentem per omnia tum nouitate rerum, tum verborum de induſtria ſelectorum inſolentia, tum tortuoſis demum locutionibus licentiorique ſyntaxi, feliciſſime imitatus. Dum enim Caſſandram calamitoſum Troiae excidium vaticinantem inducit, permulta immiſcet, quae non minus vtilia, quam iucunda ſunt. Pulcherrima ſane Graeciae Italiaeque, Aſiae Libyaeque monumenta oſtendit. Promit multarum gentium originem et familias praeclaras. Docet nomina regionibus, vrbibus, priuatis locis, fluminibus indita; frequentes colonorum mutationes, regnorum et vrbium conditores, ſtrages ingentes, priuatas caedes, multorum heroum egregia geſta, et ſceleratorum horrenda facinora; bella, nauales apparatus, incendia, rapinas, multiplices Deorum cultus, funeſta pariter et laeta illorum oracula, hiſtorias demum fabulasque fruſtra alibi quaerendas profert; idque eo tum verborum et ſimplicium et compoſitorum ſaepe

nimis obſoletorum, nec raro extraneorum, formarumque, quae inueniri poterant, monſtroſiſſimarum: tum magis tropicae orationis difficiliumque imaginum vſu, vt obſcuratiſſimus deſtinato conſilio redderetur ſenſus, totumque poema ſic maximis a capite ad calcem difficultatibus obſtructum, quaſi craſſis quibusdam ac plus quam Cimmeriis circumfuſum tenebris videretur. Hoc ſcilicet eſt tenebricoſum illud *) μονοπρόσωπον Drama, quod (mirum!) per viginti et amplius ſaecula ſtudioſos hactenus fatigauit, et Grammaticos mire torſit. Et ſane prae caeteris Dection quidam, Theon, Tiberii Claudiique temporibus inſignis, et Orus, illuſtres Grammatici, ſua in Lycophronem ingenia exercuiſſe feruntur; ſed quo euentu, incertum eſt: edax quippe vetuſtas, imperitia, barbaries, ſicut aliorum plurimorum, ita et illorum nobis labores inuiderunt a). Vnicum idque prolixum et eruditum, ex editis in noſtrum poetam commentariis, quod foediſſimas tempeſtates elapſum, incolume ad nos peruenit, Iſaacio Tzetzae vulgo tribuitur; verus tamen, ſi per invicta paene argumenta quid licet afferere, Ioannes frater, qui variam hiſtoriam circa

*) Conſuetudo fabulas μονοπροσώπως docendi diu quidem ante Lycophronem fuit, ſed hanc vnicam perſonam vaticinantem inducendi, princeps ille. Quamobrem erudito auctori apolog. diſſert. ſuper Danielem ſecundum LXX. haud grauate aſſentior, qui pag. 401 — 02. cenſet, Lycophronem ſacros Vates, nuper (Olymp. 126. an. 1. vt probabilius putatur) e ſacris Codicibus in Graecum conuerſos, imitatum eſſe. An verſ. Ionae hiſtoriam Herculi Perſeoque aptarit, et in verſ. 825 — 26. ad hiſtoriam de Lothi vxore prope Asphaltitem lacum reſpexerit, haud facile dixerim, quum vtraque fabula iam diu ante ipſum conficta eſſet.

a) Aetate tamen Eudociae et Tzetzarum, qui eorum interpretatione haud dubie vſi ſunt, adhuc extitiſſe videntur, et poſtea demum Commentario Tzetzarum vberiore dignitate ſua et vtilitate priuati perierunt. *Müller.*

A. C. MCLXX. doctissime conscripsit, auctor sine controuersia est. Quid enim, si stylus, ratio, reconditaque ex omnifaria disciplina doctrina Chiliadum historicarum, nec non interdum scholiorum in Homerum, Hesiodum, Pindarum [b]), cum hisce Commentariis conferantur? An non vna plane eademque dictio methodusque tum in historiis referendis, tum in fabulis enarrandis, tum in allegoriis venustissimis excolendis, tum denique in verbis explicandis; idque nimia cum iactantia, aliorum contemtu, sui demum δοξολογίᾳ, nominisque iterata ad fastidium vsque appellatione? Porro ipsemet, etiamsi prolegomenis ad Hesiodum aperte illi tribuat hisce verbis: καὶ τῷ ἐμῷ δὲ ἀδελφῷ ἐπετρέψαμεν λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει, se tamen auctorem esse pronuntiat, et Chil. 9. hist. 298.

> ἐν δὲ τοῖς εἰς Λυκόφρονα ἐμοὶ ἐξηγηθεῖσι
> καὶ περὶ τούτου ἔγραψα τότε τοῦ ζωΰλλίου.

et scholiis ad Pind. Olymp. 4, p. 155, col. 1. edit. Oxon. [c]), vbi posteaquam Iasonis fabulam explicauit, statim subiungit: Εἰρήκαμεν δὲ τὴν ἱστορίαν πλατύτερον ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος παραφράσει, v. 174. Praeterea singulari epistola ad regium Protonotarium Achridenum [d]) palam profitetur, se quidem Commentariorum in Lycophronem auctorem esse, hunc vero ingenii sui foetum Isaacio fratri ex singulari erga ipsum amore donasse, eiusque illis nomen inscripsisse; idque Phidiae, celeberrimi illius statuarii, imitatione, qui vt amico Agoracrito gratificaretur, statuae Iouis Rhamnusii ab se

b) in *Pindarum*, id dubium, cf. Praefat. nostram. *M.*

c) immo potius Pind. Olymp. XIII, 74. p. 455. ed. Heyn. *M.*

d) lege: Protonotarium Basilium Achridenum. *M.*

elaboratae nomen eius inscripserit. Quam epistolam a Ludolpho Küstero in Suidam ex Cod. Mſ. Bibl. Reg. Paris. 2565. primum erutam, et a Io. Pottero initio sui in Lycophronem Commentarii denuo graece editam, quod magno veritatis argumento sit, immo rem fere extra dubitationem ponat, (neque enim credibile est, eum adeo gloriae cupidum fuisse, vt vel per ruinam fraterni nominis ad famam graſſari voluerit, praesertim cum ipse scribat, fratrem sibi eximie carum fuisse) etiam Latine redditam iterare existimo [e]).

Vt vt vero sit, ratum est, hunc vnum tot inter eruditos Tzetzem, in omni scientiarum genere bene excultum, et arte praesertim Grammatica Criticaque praestantem virum, *atri*, quod Statius meritissimo vocat, *Lycophronis tenebris* [f]) eius enarrationis faces adhibuisse, sicque asperrimas illas salebras, quae omnia omnium aetatum ingenia plus minus remorarunt, inde submouisse, vt quiuis iam, qui plane non coecutiat, adire eas lustrareque facile possit. At modo non ita loquor, quasi velim tibi Tzetzem eximiae virtutis commendare, ac veluti omnibus suis numeris absolutum probare, quod nemini hactenus, ne diuinis quidem hominibus, conceſſum est, quum omnino necesse sit, naturam suam, defectum scilicet ac vitium, aliquatenus saltem prodat lapsa humanitas. Neque is sum, qui in omnibus illum sequi velim, quum futilia interdum pronuntiet, nec raro a communi opinione abhorrentia in medium proferat, idque vel magna cum ἀλαζονείᾳ, varias variorum auctorum aliqua de re,

e) Quum Commentar. Potteri hanc epistolam exhibeat, h. l. cum lat. interpretatione omittendam putauimus. *M.*

f) Stat. Sylv. V, 157. *M.*

mythologica praeſertim, ſententias ſine delectu ſaepe ingerat, adeo vt minus cautis ſagacibusque pugnantia loqui videatur; et ſane quorundam naſutulorum licet iniquam criminationem non euaſit. Haud igitur is mihi animus, ſed vero debitam merenti laudem aſſerere: niſi enim (dicam cum Peraxylo) operam ſuam Tzetzes in Lycophronem contuliſſet, facile potuiſſet quispiam noſtri poetae eruditiſſimum carmen, adeo tenebris involutum, tanquam inutile reiicere; et labores fortaſſe ſuos luſiſſent illi iidem, qui ipſum poſtquam impune compilarunt, alieno pallio tumentes, caeteris crudelius proſciderunt. Procedat huc clariſſimus Canterus, *qui qualibet arrepta occaſione in Tzetzam ſine modo conuicia fundit* (verba ſunt aequiſſimi Potteri), *et virum doctiſſimum immerito ſaepe lacerat;* procedat, inquam, et, alienis redditis, illo nimirum fere inexhauſto, vt Reichardus loquitur, doctrinae graecae, antiquitatis et mythologiae apparatu, foetum prodat ingenii ſui: quisquilias ſane et contemnendas annotatiunculas. Praeterea in ſolidum argumentum ducat, quod afferit, (vt et Holſtenius in Steph. Byz. voc. Ἀρ. ναι, aliique) Tzetzem Theonis vel aliorum in hunc poetam commentarios expilaſſe, tuncque condignam plagiarii notam illi inurat. At, bone Deus, quam fluxa humana indoles! Dum Tzetzem dente inuido mordet, dum foediſſime lapſum clamitat, dum plagii incuſat, laudes interim ex illius laboribus ſuo nomini libat, ſinceroque optat voto, (quod Pottero maxime omnium bilem commouit) extarent antiqua illa in Lycophronem ſcholia, ex quibus tamen ſua Tzetzem conſumaſſe affirmat, vt ſe poſſent magna laboris parte leuare. Dic, quaeſo te, bone Cantere, ſi ſcholia iſta in Lycophronem Tzetzianis antiquiora non vidiſti,

dum ais, ea facilius optari poſſe, quam contingere; qui id vales aſſerere? qua fronte plagium Tzetzae obiicere? Num pro te aliquis illi contemporaneus vel ſuppar eſt, qui teſtimonium perhibeat? Putasne, adeo rudem fuiſſe aetatem illam, vt tam nobile poëma, tam praeclaris enarrationibus illuſtratum atque excultum negligeret? aut contra tantae ſtultitiae homines aluiſſe, vt eſſet vel ex praeceptoribus, qui palam ſibi arrogaret, quod iam dudum publico iure alienum eſſe ſciebatur? ac ſi quis ludi magiſter, Homero- aut Virgilio-Centones ſibi tribuens, publice auditoribus ſuis recitaret; quod tamen a quodam praeceptore in ſuis Commentariis factum queritur ipſe Tzetzes Chil. 8, hiſt. 204. Sentio equidem, quid Cantero aliisque perſuaſerit, Tzetzem praecedentium Enarratorum ſcrinia compilaſſe: loca nimirum in Lycophronem, quae ex Dectione, Oro et ὑπομνήμασιν ab Etymologo, et ex Theone a Stephano Byzantino proferuntur, quae haud abſimilia in Tzetzianis ſcholiis occurrunt; ſed, eorum pace dixerim, tam praecipiti iudicio non eſt opus. Ergo Platonis plagiarium ideo dicemus Ciceronem, Homeri Virgilium, Plutarchi Dionem, Dioſcoridis Plinium, aliorumque alios, quod, quum neminem αὐτοδίδακτον natura patiatur, priores auctores pro ſuo quisque argumento aut duces, aut magiſtros ſibi praepoſuerint, et illorum multa aſſumpſerint? Quid plura? Decretorio tamen ſtilo iuuat rem diluere, inſperatiſſimaque ſententia decernere.

Tres tantummodo nominatim, vt notauimus, feruntur antiqui Lycophronei Dramatis enarratores. Laudantur quidem paſſim ὑπομνήματα in Lycophronem, et Euſtathio plus ſimplici vice Lycophronis ὑπομνηματισταί, verum illi iidem eademque, quae praefati aucto-

res conscripserunt, an alii aliaue significentur, incertum plane est. Ea quotquot fuerint scholia, omnia, praeter recentiora Tzetziana, temporis, cuncta dente suo conficientis et consumentis, pabulum fuisse, vno iam ore pronunciatur. Attamen in Bibliotheca Vaticana membraneus extat Codex in 4 maiori, n. 1307. insignitus, ex libris Fuluii Vrsini, constans foliis scriptis 112. iisque per incuriam luxatis. Solebant olim librarii inopes, quibus deerant membranae ad libros exscribendos, antiqua exemplaria dissuere, et scripturae alienae seu spongia seu vetustate deletae, suam superlinire. Eiusmodi sane est liber, de quo agimus, continetque Lycophronis Alexandram et Arati Phaenomena, vtrumque poema suis scholiis ornatum, vtrumque pari modo manuque sub exitum saeculi noni, aut decimi exordium, quantum coniicere licet, minio exaratum. Priorem libri partem Lycophron occupat cum scholiis, Tzetzianis, vt ipsa iam Codicis aetate arguimus, antiquioribus, quae cui adscribere debeam, ob initii iacturam nescio: si tamen per quae apud Etymologistam ex antiquis in Lycophr. scholiis extant fragmenta quid iudicii ferre mihi liceret, Orum certe auctorem pronunciarem. Caeterum prologum esse quod desideratur, facile ex *) alterius folii initio de-

*) *Prius folium quasi ad defectum supplendum ab imperita manu alionde ibi astructum est, antiquius sane, pertritum deteriorique manu scriptorio atramento exaratum, alia de re, nempe de ratione metrica, agens praeuiis hisce verbis:* γνώμη προτρεπτικὴ ἀπὸ τῶν προγυμνασμάτων τῆς Ῥητορικῆς; *atque in fine paginae ex alia antiqua pariter manu de Ecclesiae catholicae puritate assertio legitur hisce verbis concepta:* τῶν ἁπάντων αἱρέσεων, ὥσπερ τινῶν βίβλων, ἡ ἁγία καὶ καθολικὴ ἐκκλησία ἐκφεύγουσα, καὶ ὑπὸ τῆς ἁγίας τριάδος σοφιζομένη καὶ ἐκδιδασκομένη ἐκβοᾷ.

prehenditur, quod situ obductum blattisque exesum, vt et in toto paene Codice cum suprema ora, tum margo extrema haec verba exhibet: — ὁ τοῦ Πριάμου ὑπογραφεύς, ὃς παρὰ τοῦ Πριάμου ἐπιτακτὸς, ἦκουε τῆς Κασσάνδρης μαντικῆς· θυγάτηρ γὰρ Πριάμου ἡ Κάσσανδρα. Μαντευομένην τὴν Κασσάνδραν τἀληθῆ, καὶ διὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος ἀπιστουμένην, καθεῖρξεν ὁ πατὴρ . . . . . ἀκούειν τῶν χρησμῶν, καὶ ἀπαγγέλλειν αὐτῷ. Περιέχει δὲ χρησμοὺς τὸ ποίημα, καὶ τὴν ἀφ' Ἡρακλέος ἱστορίαν μέχρι τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἔξωθεν παρεμπλεκομένης καὶ ἄλλης ποικίλης ἱστορίας. Νοητέον δὲ κατὰ τὴν ἐκτὸς ὑπόθεσιν τὸν Πρίαμον ἠρωτηκέναι τὸν ἄγγελον περὶ ὧν ἀπεφθέγγετο ἡ Κασσάνδρα· τὸν δὲ ἄνωθεν διηγούμενον ἅπαντα. Deinde statim poema exorditur, maiori charactere in medio ex accurato aliquo vetustoque exemplari haud perfunctorie quidem exscriptum, atque hinc inde ad marginem, vel, vt melius dicam, circumcirca coniecta sunt scholia eiusmodi, minori characteris schemate rarius, sententiisque fastigiatim subinde desinentibus, exarata.

Vers. 1. Λέξω τὰ πάντα] τοῦτο τριχῶς ἀποδίδοται· λέξω σοι ἀληθῶς, ὦ Πρίαμε, ἅ . . . . . ἀλλ' ἱστόρει. ἢ, ἅ μ' ἱστορεῖς, ὡς τοῦ Πριάμου πρότερον πυνθανομένου, κατὰ τὸ . . . . ὡς Ἀριστοφάνης· εἰ μὴ Προμηθεύς εἰμὶ, τἄλλα ψεύδομαι. Θερσίτων ἐστὶν ὁ προλογίζων πρὸς Πρίαμον· ἐκβάλλεται δὲ τὸ προοίμιον παρά τισιν· οὐ χὰρ φαίνεται ἐρωτῶν ὁ Πρίαμος.

Vers. 3. Οὐ γὰρ ἥσυχος κόρη] ἡ ἡσυχεστάτη etc. vt est apud Tzetzem.

Vers. 7. Σφιγγὸς κελαινῆς] αὕτη ἡ Σφὶγξ θυγάτηρ γέγονε Λαΐου, ἔμπροσθε μὲν εἶδος ἔχουσα λέοντος, ὄπισθεν ἀνθρώπου· φωνεῖσα δὲ τοῖς ἐντοπίοις, εἶπε τοιοῦτο αἴνιγμα. Quo relato paruula aliquot adiiciuntur ab initio paginae a tergo, plane incomprehensibilia, post quae

Vers. 24. Πελαργοχρῶτες] διὰ τὸ λευκόχροον. Φαλακρῖδι δέ, ἀντὶ τοῦ Ἰδαῖαι. ὁ δὲ περὶ τὴν Φάλακραν τόπος, ὑψηλὸς καὶ ἄδενδρος, διὸ καὶ ταύτην ἴσχε τὴν προσηγορίαν.

Vers. 29. Ἄτης ἀπ' ἄκρων] Ἄτης λόφος ἐκαλεῖτο τὸ τρίτιον ἡ Ἴλιος· et reliquum, quod paucis agit de consultatione et responso Priapisci Apollinis, vt apud Tzetzem videre est.

Βευπλανοκίστων] Λίσσης ὁ Λαμψάκειός φησιν etc. quae totidem verbis apud Tzetzem leguntur.

Vers. 34. Τρίτωνος ἠμάλαψε] Τρίτωνος κύνα λέγει τὸ κῆτος· ὁ δὲ Τρίτων, υἱὸς Ποσειδῶνος καὶ Ἀμφιτρίτης. ἠμάλαψεν, ἀντὶ τοῦ· ἠφάνισεν.

Vers. 37. Σμήριγγας ἐστάλαξε] φασὶ δὲ, αὐτὸν καταπλῆξαι ὑπὸ τοῦ κήτους διὰ τὴν Ἡσιόνην. Et sic deinceps eodem tenore prosequuntur rariores annotatiunculae, quae paene omnes in Tzetzae Commentario aut summatim aut totidem verbis reperiuntur: complectentes una cum textu paginas membraneas octoginta sex et dimidiam, quae finem continet eiusmodi:

Vers. 1466. Ἑλικτὰ] τὰ συνεστραμμένα.

Vers. 1467. Λοξὸν] τὸν αἰνιγματώδη καὶ μυστικόν· διὸ καὶ Λοξίας ὁ Ἀπόλλων.

Vers. 1471. Τρόχιν] τὸν ἄγγελον· οἱ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ ἱέρακος ἀγγέλου.

Auctores paucissimi laudantur, qui pariter cum sua quisque sententia vtcumque relata apud Tzetzem fere omnes occurrunt. Plerumque, vbi de herois alicuius natalibus summatim agitur, genealogicum specimen exhibetur, vt, verbi gratia, in versum 344. Vlyssis genealogia exprimitur ad hunc modum:



Praeterea minima, ſi marginales aliquot et interlineares gloſſas excipias, verborum Lycophroneorum ratio habetur: nihil, quod ad rem Grammaticam pertineat, legitur: nulla denique periodus conſtruitur; idque de induſtria factum videtur: adiecta quippe ad calcem poematis non contemnenda enarratio eſt, ſcholaſtico more per duodecim folia vno tenore percurrens hoc modo: Λέξω τὰ πάντα νηπτρικῶς, ἅ μ' ἱστορεῖς, ἀρχῆς ἀπ' ἄκρης, καὶ τὰ ἑξῆς· Εἶπω καὶ φράσω τὰ πάντα, ἅ μ' ἐρωτᾷς, ἀληθῶς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρχῆς. ἐὰν δὲ ἐπεκτανθῇ ὁ λόγος, συγγνώμην πάρεχε, ὦ βασιλεῦ· οὐ γὰρ καθάπερ τὸ πρότερον ἥσυχος οὖσα ἡ κόρη, τοῖς χρηπμοῖς τὸ ποικίλον στόμα διέλυσεν· ἀλλ' ἄπειρον καὶ πολλὴν ἐκχέασα πάμμικτον φωνήν, ἐκ τῶν δαφνηφάγων λαιμῶν ἐμαντεύετο φωνήν, τῆς ποικίλης Σφιγγὸς τὴν φωνὴν ἐναπομαξαμένη καὶ ἐκμιμουμένη. Τούτων ὅσα τῇ ψυχῇ καὶ διὰ μνήμης ἔχω, ἀκούσειας ἄν, ὦ βασιλεῦ, καὶ ἀναλογιζόμενος καὶ ἀναψηφιζόμενος τῇ συνετῇ διανοίᾳ, διέρχου τοὺς δυσφράστους τῶν αἰνιγμάτων ὁδούς, ἐρευνῶν, ὅπου σε ἄγει ἡ ἀληθὴς καὶ σαφὴ ὁδὸς τῇ ὀρθῇ τρίβῳ, καὶ ἐν τῷ σκότει ὁδηγεῖ καὶ προάγει. Ἐγὼ δὲ τῆς ἀρχῆς τῆς βελβίδος σχοινίου διαῤῥήξας, πρόειμι ἐπὶ τὰς τῶν ἀσαφῶν λόγων ἀφηγήσεις, πρώτην χρούσας ἀφετηρίαν, ὡς ταχὺς δρομεύς. Ἡ ἡμέρα τὸ ὑψηλὸν τοῦ Φηγίου ὄρους ἀκρωτήριον τοῖς ταχέσι πτεροῖς τοῦ Πηγάσου ὑπερεπέτατο, τὸν Τιθωνὸν ἐν ταῖς κοίταις πλησίον τῆς Κέρνης, τὸν τῆς σῆς μητρὸς ἀδελφὸν, καταλιποῦσα· οἱ δὲ ναῦται τὰ εὐμαλακτα σχοινία τῆς τετριμμένης πέτρας ἔλυον καὶ ἐχώριζον, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς τὰς ἀγκύρας ἀπέσπαζον. αἱ δὲ πολύποδες καὶ λευκοχρώματοι καὶ ψυλαὶ (ψιλαὶ) καὶ λεῖαι καὶ εὐόφθαλμοι νῆες ταῖς κώπαις τὴν

περὶ τὸν Ἑλλήσποντον παρθενοκτόνον θάλασσαν ἔτυπτον, ὑπεράνω τῶν Κελυδνῶν νήσων τὰ λευκὰ ἄρμενα ἀφαίνουται, τὰ ἀκροστόλια, καὶ τὰ ἱστία ἐκτεταμένα, ταῖς ἀπὸ τῆς ἄρκτου θερμοῦ ἀνέμου τυπαῖς. ἡ δὲ Ἀλεξάνδρα τὸ μαντικὸν καὶ μηνικὸν στόμα ἀνοίξασα ἐκ τῶν ἄκρων τῆς βλάβης τῶν ἐκ τοῦ βοὸς κτισθέντων πύργων, τοιούτων ἀπ' ἀρχῆς ἤρξατο λόγων· Φεῦ, φεῦ παλαίπωρε τροφὲ ἐμπεσεῖν etc.

Hanc certe paraphrasin, quam illam eandem a veteri Pindari Scholiasta appellatam existimo, in lucem protrahere consilium g) erat; sed rem diligentius pensanti mihi non fuit graue de sententia discedere. Quid inde vtilitatis futurum fuisset, quum totam Tzetzes interpolarit, auxerit, suisque apud se locis distribuerit? Accedebat ad hoc, non sine lacunis compluribus ob frequentium litterarum iam exiliter exaratarum, moxque situ carieque deletarum iacturam edi potuisse: id, quod multo magis de scholiis sentias velim, nullius plane momenti illis, in queis si quid boni est, in Tzetzianis non desideratur. Itaque me-

g) O si hoc consilium hanc paraphrasin, adhuc plane incognitam, simulque haec scholia antiquiora cum glossis interlinearibus in lucem proferendi non abiecisset! maiorem sane gratiam apud omnes graecarum litterarum et Lycophronis amantes iniisset, quam interpretatione sua scholiorum latina. Verum in gratiam Tzetzae sui, cuius causam, vt fides et dignitas eius constarent, contra Canterum agere tentauit, sed male egit. Nam ex omnibus, ab eo prolatis, Tzetzam omnino secutum esse atque exscripsisse haec scholia vetusta, additis modo quibusdam, luculenter apparet. Paraphrasin vero hanc esse eandem, quam laudet Scholiastes Pindari recentior (male Sebast. veterem nominat) Olymp. XIII, 74. vix credibile est, nam verba eius: εἰρήκαμεν τὴν ἱστορίαν πλατύτερον ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος παραφράσει, magis ἐκθήσει, quum historia ista plures v. 174. plagellas expleat, quam παράφρασιν proprie sic dictam innuere videntur. *M.*

liori conſilio ſumto, ſpecimen tantum vtriusque ad fidem conciliandam, et ad afflictam per magnam impudentiam Tzetzae famam reparandam, edere contentus fui. Addiuinent nunc furioſi iſti critici et iniqui judices, vnde tot fabulas, hiſtorias, elegantiſſimas potiſſimum allegorias, puta de Pegaſo, Bellerophonte, Perſeo, Gorgone, Minerua, Chimaera, Typhone, Proteo, Scylla, Pelope, Tantalo, Neptuno, Philoctete, Iaſone, Medea, Tzetzes hauſerit, quarum vix aliquid, aut ne vix quidem in antiquis illis ſcholiis occurrit [h]: ac tum vero non modo compilationis, verum etiam mendacii merito eum accuſent, qui tam magnifice glorietur in verſ. 177. ſcire ſe per ſeipſum et allegorias fuſe venuſteque tractare, et hiſtorias ample exacteque proſequi.

Caeterum hoc vnicum ſuperſtes Lycophronis poëma, foetus ille cultioris atque elegantioris Sphingis parenti ſuae quam ſimillimus, licet in noſtrae Reipublicae theatrum ter decies hactenus (quinquies interprete ſuo comitatum) cum Graeco tum Romano pallio amictum variorum cura ſit prolatum, non plus tamen, quam ſemel, aut bis, amice Lector, ſi certe non eximie excultum, et quale parens concepit comesque erudiuit, ingenuum; prae caeteris ſaltem tuo conſpectu dignius, et ſcenae ſplendori non omnino impar, doctiſſimi viri Ioannis Potteri Britannici opera proſcenium ſubiit Oxonii an. 1697 et 1702. Primus quidem Paulus Manutius (cuiusque ſuorumque eruditioni ac

h) Quid vero, ſi reliqua deberet Tzetzes Dectioni et Theoni, veteribus Lycophronis enarratoribus, qui tunc exſtitiſſe adhuc videntur, vel adeo Eudociae, et aliis Grammaticis! *M.*

typographiae res litteraria mirum! quantum debet) Lycophronem cum Pindaro, Callimacho et Dionysii Periegeti Graece edidit Venetiis an. 1513. in 8. Triginta autem post annis circiter Arnoldus Arlenius Peraxylus ad exemplar M. Antonii Antimachi ita recognouisse emendasseque ait, vt inde studiosos magnam factam accessionem agnituros, et beneficium illud suum qualecunque plenius iam et cumulatius ad ipsos rednudasse gratos professuros esse, confideret; sed longe sua eum opinio fefellit. Castigauit igitur, et cum Graeco Tzetzae Commentario, e Bononiensi Collegii S. Saluatoris Bibliotheca erutò, publici iuris fecit typis Basileensibus an. 1542. fol. Quam mutilum, indigestum, ac naeuis plane innumerabilibus deformem fuisse hunc Tzetzianum Codicem, (de contextu non memoro) quem nulla habita ratione Peraxylus temere edidit, et ex quo ad Potterum vsque omnes editiones fluxere, Stephaniana praesertim an. 1621. in 8. Potteri diligentia abunde arguit. Is enim singulari modestia atque eruditione iuuenis, ope duorum Mss. quos ei Bibliotheca Seldeniana et Barocciana suppeditarunt, accedentibus praeterea Gerbelianis et Graeuianis emendationibus, sic geminis curis Tzetzae Commentarium expurgauit et auxit, vt natiuae puritati restituisse speraret. Et sane (fateri iuuat) magnam in illum operam contulit, atque ad Lycophronem suo cum Enarratore emendandum illustrandumque non infirmo mehercule ingenio vulgarique iudicio accessit. Quod si res non ex voto aut opinione cessit, in librorum, quibus fuit vsus, Mss. defectum maior culpa coniicienda. Fecit, quantum potuit, ideoque merita laude non est priuandus. Neque vero stultus adeo sum, qui, quod alii non perspexerint, acerbius velim re-

prehendere, cum et ipſe, vt ſunt humana, poſterorum addi amentis locum fecerim. Laboramus in commune, addimus paruum paruo ſinguli; nec praeſtantes doctrina et ingenio viri, qui ante nos ſcripſerunt, proſcindendi ſunt conuiciis, quod nec omnia, nec feliciter iuxta perfecerint.

Poſtquam inuenilem animum acerbiſſima iniuria fractum leuare, et litterarum dulcedini totum adiicere coepi, conſilium fuit, prouinciam ab Alexandro Polito Florentino non ita pridem depoſitam haud deſultoria varietate aſſumere, et doctiſſimum Euſtathium, per tot vices quam inique iactatum, Latinis auribus totum tradere. Et reuera, poſt varios labores tres Iliadis libros ζ. η. ϑ. quinque illis prioribus a Polito Florentiae editis ſubſequentes, praelo paraui, fortaſſe, niſi cum cl. aliquot viris fallor, non contemnendos. Nam praeterquam quod probum laudati interpretis inſtitutum religioſe tenui, omnia in Homerum ſcholia, quae ad Euſtathium illuſtrandum faciebant, inſuper adieci cum vniuerſis Homericis variantibus lectionibus ſuo loco diſpoſitis. Sed quum typographicum onus, quod ſuſtinere me poſſe imperioſa mihi fortuna negauit, bibliopolas ob diras temporum calamitates detrectare viderem, nec tantillum a Proceribus ſubſidii (bone Deus, quam pudet dicere!) poſſem extorquere, decretum fuit, dum ſpes aliqua affulgeret Euſtathii edendi, ad alium auctorem conuertere ſtudia mea, qui Euſtathio fortunatior, me in ſe operam ludere non pateretur. Itaque neme alius noſtro Lycophrone opportunior viſus, quum haud multa eſſent in Oxonienſibus editionibus, (ceterae ad piper amandari tuto poſſunt) quae bene placerent, contextu minus ſanis ſub-

inde lectionibus patente, Canteriana versione, quam omnes hactenus improuide sunt secuti, a poëtae mente saepissime abhorrente, Commentario incondite digesto, et nonnullis (quis enim credidisset, tam mutilum, deforme, densisque naeuis obsitum fore, adeo vt solae emendationes ad duo circiter millia ascendere videantur?) nonnullis, inquam, adhuc naeuis adsperso. Opportunior igitur visus, statim ad Mss. auxilium ea sedulitate confugi, vt quotquot in Romanis bibliothecis asseruantur, Lycophroneos Codices diligenti collatione versauerim. Quamobrem, poëmate cum suis scholiis ex altera Oxoniensi editione accurate descripto, Vaticana primum, deinde Casanatensia, Barberina *) denique exemplaria pertinaci diligentia contuli. Mirum profecto, quam immensam tum discrepantium verborum et sententiarum, tum sphalmatum, tum vocum et locorum deficientium, syluam inde super Commentaria congesserim. Quibus vniuersis pro tantillo meo ingenio perpensis, haec restitui, ista digessi, illa deleui, haec demum addidi (de orthographia aliisque leuioribus mendis non loquor) asteriscis distincta, prout ordo sententiaque requirebant, habita semper Mss. eorumque praesertim, qui accuratiores videbantur, praecipua ratione, quemodmodum in emendationibus (in quibus autem indicandis Codd. Mss. promiscue ad confusionem euitandam allegaui) videre est, adeo vt natiuae Tzetzem puritati reuocasse non immerito sperare possim. Sphalmata vero et

*) In hac bibliotheca, praeter quem in Catalogo notauimus, alius extat Codex mutilus, nec alicuius momenti, incipiens a vers. 6, deficiensque corruptis hisce verbis in v. 1146. Βοάγριος, πόλις Λοκρίδος, παράκειται τῇ Θετταλίᾳ· Θετταλία γὰρ ἡ Λοκρίς.

discrepantia verba locaque significare omisi, ne re minime gentium necessaria perturbationem parerem. Quid enim, si ad tot emendationes tam magnam mendorum et variantium vim aggessissem? Vt igitur expeditae lectioni consulerem, selectis iis, quae ad sententiam restituendam conferebant, reliqua missa facere existimani. Quod tamen in contextu facere religiosum duxi. Itaque erutis ex cunctis Codicibus (quorum accuratam recensionem exhibeo) quotquot a vulgato textu discrepabant, lectionibus, additisque insuper iis, quas aliorum diligentia collegerat, carmen magis et ad poëtae mentem accedens, et rei traditae consentaneum, restitui: caeteras, quae quidem admitti posse videbantur, aut sententiae varietatem efficiebant, sub ipsum contextum, quae vero librariorum incuriam arguebant, ad calcem excudendas curaui.

Canteriana poëmatis versio, (Scaligerianam metricam nescio sane, quibus verbis efferam) quam paene omnes hactenus nimia facilitate amplexi sunt; immo, quod magis miror, Reichardus tanquam satis accuratam, multisque in locis intellectu facillimam commendauit; quam indigesta sit, et a vatis mente subinde abhorreat, tua, Bone Lector, patientia videre facile potest. Quapropter ex integro eam diligentissime recensui, emendaui, et singulis versiculis, immo vocibus religiose disposui, quod Canterum nimia licentia neglexisse iusta omnium querela est. Vt autem dramatis perspicuitati, cui nonnihil haec mea alioqui commendabilissima accuratio officere posse videbatur, consulerem, paraphrasin, non qualem Reichardus texuit, mutilam, angustam, infidam, sed absolutam, liberalem, fidelem concinnaui, quae et enarrationis vicem quodammodo gereret.

Integrum Tzetzae Commentarium Latine quidem fideliter reddere consilium fuit, vt iis, qui Graecam linguam aut ignorant, aut mediocriter sciunt, consulerem ac placerem; sed interpretationem hanc seorsum excudendam curaui, vt Graece doctis, hac opera minime indigentibus, obsecundarem. Quae a Tzetza allegantur testimonia, si duo triaue suspecta excipias, omnia recognita indicaui. De Bertrandi autem versione non memoro: is enim Regiensis Gallus Lycophronem cum scholiasta ex Basileensi editione in Latinum primus vertere aggressus, quo successu vulgauerit Basileae pariter an. 1558, in 8. non ignorant eruditi. Caeterum in poetam eiusque interpretem garrire auersatus sum, primum quia in vtroque tantum emaculando sedulam conferre operam proposui, deinde ne, vt in calamitosissimis temporibus est metus, grandior Lycophron in publicum prodiens, parum comiter exciperetur; ideoque ne Canteriana quidem alienis illa opibus luxuriantia Commentaria, nec Meursiana, nec Potteriana recipere volui. Verum praeter Fragmenta vniuersa vndique diligentissime collecta, quatuor Indices adieci, primum, Potteriano illo longe accuratiorem, omnium, quotquot Lycophron est vsus, verborum cum ipsius scholiastae aliorumque veterum Grammaticorum expositione [i]), alterum Geographicum, tertium auctorum, qui a Tzetza passim laudantur, quartum denique rerum omnium absolutissimum [k]).

En tibi breuiter, amice Lector, rationem de iis, quae praestiti in hoc opere, quod intra paucos menses

i) non omnium verborum, sed paucorum modo. *M.*

k) Nondum fuisse absolutissimum, Index rerum a nobis compositus docebit. *M.*

ab octo iam annis abſolueram, ſed praelo committere non potueram. Dum enim Mecoenatem (*Maecenatem*) aliquem fruſtra quaerebam, dolenterque de cultorum Muſarum infelicitate mecum conquerebar, ad ſacras per Orientem Miſſiones exercendas ſui appellatus: quod dulciſſimum munus obeundum, quum propenſiſſimum ex Dei vocatione haberem animum, nihil prorſus haeſitaui, quin amplecterer, ſed ſtatim Roma Liburnum abiens, conſcenſa naui in Syriam nauigante, ad inſulam Cyprum appuli, ex qua poſt quadraginta dies in Ciliciam transmeaui, deinde in Cappadociam tranſii, ac Caeſarea Tarſum petiens (*petens*) Tripolim ac Berytum enauigaui; vnde ad Libanum aſcendi, in quo quadrimeſtre verſatus ſum: poſtea Damaſcum deſcendi, vbi ſeptem circiter menſes laborioſiſſime transegi. Eo in tempore Heliopolim, et Palmyram, variaque loca, olim non vulgares ciuitates, diligenter luſtraui usque ad Haran. Tandem Damaſco profectus, Apameam ingreſſus ſum, ex qua Hierapolim abii, celebre Syriae emporium. Tempore, quo ibi manere neceſſe habui, Antiochiam inuiſi, et alia ei propinqua oppida. Hierapoli Amidum petii, vnde ad Tigridis primum, mox et Euphratis fontes me contuli. Per Armeniam remeans, Marden, celebrem Meſopotamiae arcem, adii, ex qua primo Niniuen, poſtea per fluvium Tigrim Babylonem et Teredon abii: deinde in Perſidem ingreſſus, Schiraſium et Aspahamum per Perſepolim inuiſi: tandem Babyloniam reuerſus, bimeſtre in ea praediuite ciuitate conſedi. Sed interea dum Romam propter negotia illarum Eccleſiarum regredi me accingebam, ecce, quod duo nobiles iuuenes Angli Babylonem perueniunt ex India, in patriam quisque ſuam abituri. Quamobrem humaniſſimus

Anglicae Nationis Conſul Bagdati reſidens comitem me illis atque interpretem adiunxit. Itaque vno ex tabellariis Tauricis conducto, veredos conſcendimus, et pernici menſtruo curſu per Chaldaeam, Aſſyriam, Meſopotamiam, Armeniam et Anatoliam Byzantium peruenimus. Poſt biduum ad regium Magnae Britanniae apud Turcarum Imperatorem legatum, Comitem Thomam Elgin, ſalutandum admiſſus fui, qui me pluries ita perhumaniter excepit, vt Anglicae Nationi indiſſolubili plane amoris vinculo totum me deuinxerit atque aggregauerit: quamobrem publico hocce teſtimonio immortales illi inclytaeque Genti perſoluo grates, paratum me declarans ad omne bonum officium ſiue in Europa, ſiue in Aſia fideliſſime perſoluendum.

Byzantio Liburnum nauigaui ad Lemnon, Melon, Zazynthon obiter appulſus. Liburno Romam perueni, ex qua poſt quadrimeſtre Anconam petii, Conſtantinopolim reuerſurus. Itaque in vectorium nauigium, vt Venetias ac Tergeſte peruenirem, conſcendens cum pluribus ſociis hiemali tempore, poſt nauigationis diem foediſſima tempeſtate aggreſſi ac per biduum iactati, tandem ad oſtium Ariminenſe miſerrimum naufragium fecimus, triginta tribus ex ſociis lugubriter amiſſis. Sed mox alio nauigio inſtructi, ſuſceptum iter perfecimus, ac Tergeſte appulimus. Poſt viginti dierum moram, data occaſione, Illyricam nauem, quae per varia Graeciae loca conducta erat, conſcendi, ac contrariis plerumque ſpirantibus ventis, paene omnia Iſtriae et Dalmatiae, et Albaniae maritima loca luſtraui: Corcyram autem, Cephalenen, Zazynthon denuo, Leucadiam, Pheras, Naupliam, Corinthum, Athenas, Ceam ex Cycladibus, Syron, Tinum, An-

dron et varia Euboeae loca Theſſalonicam vsque pervidi, ex qua olim celeberrima ciuitate per Seſtum et Abydum, Gallipolim et Perinthum, tandem Byzantium quadrimeſtri nauigatione perueni. Byzantio poſt aliquot menſes ad Tenedum Smyrnamque enauigaui, vnde opportune in Galatiam peruaſi, atque in regreſſu nacta naui, quae Turcas ad Meccanam peregrinationem proficiſcentes Berytum aſportabat, in illam conſcendi, et ad Rhodum, deinde ad Cyprum, tandem Berytum ſecundo appuli: mox Sidonem adii, atque ad monaſterium SS. Saluatoris Monachorum Melchitarum aſcendi, ex quo Damaſcum iterum petii, vbi decem circiter menſes in aſſiduis laboribus transegi: plura enim Arabice conſcripſi, et e Latino in Arabum translaui ad illarum gentium vtilitatem. Sed dum Babyloniam per Arabiae deſertum eram profecturus, Romam regredi neceſſe habui. Quamobrem Damaſco diſcedens, Berytum tertio abii, vnde Sidonem iterum, deinde Tyrum, mox Ptolemaidem nauigaui. Ptolemaide profectus Ioppen appuli, et poſt aliquot dies in Aegyptum peruaſi: tandem per Nili alueum ad Peluſiacum oſtium Anglicam conſcendi nauim, et ad Cretam enauigaui; ſed contrariis poſtea ſpirantibus ventis, ad variae Africae loca appellere neceſſe fuit: tandem Tunete recto curſu Liburnum perueni, ac Romam denique ingreſſus ſum tot poſt itinera religionis cauſa terra marique per mille pericula, per immenſos plane labores, ingentibus ſumptibus ſuſcepta, ac Deo mirabiliter adiuuante conſumta. Non enim memoro, quot vices ad certum mortis diſcrimen perductum me viderim, ita vt ter de ſalute mea omnino deſperauerim. Semel Birthae ab iniquo gubernatore horrendum in carcerem ſine cauſa coniectus, non an-

tea dimiſſus fui, quam quinquaginta aureos perſoluerim. Bis a latronibus aggreſſus, aegre incolumis euaſi, ſociis ſtrenue mecum ad ſanguinem usque reluctantibus. Quantam pecuniae vim neceſſario impenderim, Deus ſcit, qui ſolus diuina plane liberalitate donauit, meque in medica, quam exercebam, arte mirabiliter direxit inter tot barbaras gentes. Quo fructu autem, quoque animi candore in ſacro miniſterio obeundo me geſſerim, teſtem pro me Orientem habeo, nec Romani Praeſules ignorant. Nullam omiſi opportunitatem, vt deuios ad ſalutis viam reuocarem, vt in vmbra mortis ambulantibus diuinae lucis claritatem oſtenderem, vt Turcarum infantes in extremis poſitos coelo per ſalutare lauacrum ſub medicamenti ſpecie adhibitum aſſererem; vt odii facem, vbi ardebat, extinguerem pacemque inter inimicitiarum liuore laborantes conciliarem, vno verbo, nihil quicquam mihi conſcius ſum, quod meum animum angat, aut conſcientiam ſollicitet meam. Faxit Deus, quem teſtor, vt eodem intentioriue ardore ſuſceptum lubentiſſimo animo, et ad tempus praetermiſſum Apoſtolicum miniſterium citius reſumere valeam, conceptumque animo conſilium perficere.

Tu interim, beneuole Lector, propitius et clemens eſto mihi, qui vltra modum te ſum moratus. Fruere amice hisce meis qualibuscunque laboribus intra paucos, vt dixi, menſes exhantlatis, et memini me, vt te, hominem eſſe, erratis ſcilicet obnoxium. Adde iniquitatem fortunae, quae me ſemper usquequaque perſecuta eſt, coegitque ad libitum ſuum mentem ab intenſioribus ſtudiis alienare. Attamen quantacumque conatibus ſaeua pultauerit conſtantiam meam,

ne expugnauit quidem; ſed quo crudelius in me exercebat potentiam ſuam, eo fortior euadens, nunquam paſſus ſum a dulci litterarum curſu reuocari. Supple igitur defectibus, vitia corrige, deficientia reſtaura ea ipſa, quam erga temet adhibitam cuperes, caritate atque humanitate; nec illos imitari velis, qui alienorum laborum detractione clareſcere poſſe putantes, ſumma cum libertate, quin etiam impudentia, iniqui licet atque impares cenſores, cuncta notare et carpere videntur. Vale, et ſtudia mea benignus reſpice.

DE

LYCOPHRONE EIUSQUE POEMATE

VETERUM ET RECENTIORUM

IUDICIA AC TESTIMONIA.

Ex Clemente Alexandrino Strom. l. 5. p. 676. ed. Ven.

Καὶ μυρία ἐπὶ μυρίοις εὕροιμεν ἂν ὑπό τε φιλοσόφων, ὑπό τε ποιητῶν αἰνιγματωδῶς εἰρημένα· ὅπου γε καὶ ὅλα βιβλία ἐπικεχρυμμένην τὴν τοῦ συγγραφέως βούλησιν ἐπιδείκνυνται, ὡς καὶ τὸ Ἡρακλείτου περὶ φύσεως, ὃς καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο σκοτεινὸς προσηγόρευται· ὁμοίᾳ δὲ τούτῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἡ Φερεκύδους Θεολογία τοῦ Συρίου. Εὐφορίων γὰρ ὁ ποιητής, καὶ τὰ Καλλιμάχου Αἴτια, καὶ ἡ Λυκόφρονος Ἀλέξανδρα, καὶ τὰ τούτοις παρακλίσια, γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν Γραμματικῶν ἤγκειται ἅπασιν, σαφῶς οὐδὲν ἐκτίθεται [1]).

Ex Suida Tom. 2. p. 472, ed. Küst.

Λυκόφρων, Χαλκιδεὺς ἀπὸ Εὐβοίας, υἱὸς Σωκλέους, θέσει δὲ Λύκου τοῦ Ῥηγίνου· γραμματικὸς καὶ ποιητὴς τραγῳδιῶν. ἔστι γοῦν εἷς τῶν ἑπτά, οἵτινες Πλειὰς ὠνομάσθησαν. εἰσὶ δὲ καὶ τραγῳδίαι αὐτοῦ, Αἴολος, Ἀνδρομέδα, Ἀλήτης, Αἰολίδης, Ἐλεφήνωρ, Ἡρακλῆς, Ἰκέται, Ἰπποδάμεια, Κασσανδρεῖς, Λάϊος, Μαραθώνιοι, Ναύπλιος, Οἰδίπους α', β', Ὀρφανός, Πενθεύς, Πελοπίδαι, Σύμμαχοι, Τηλέγονος, Χρύσιππος· διασκευὴ δ' ἐστὶν ἐκ τούτων ὁ Ναύπλιος. Ἔγραψε καὶ τὴν καλουμένην Ἀλεξάνδραν, τὸ σκοτεινὸν ποίημα.

1) Vltima verba σαφῶς — ἐκτίθεται Sebast. omisit. Idem locis auctorum graecorum addidit versionem latinam, quam non reddidimus.

Ex Artemidoro l. 4. p. 65. (cap. 63. in extr.)

Εἰσὶ καὶ παρὰ Λυκόφρονι ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ, καὶ παρὰ Ἡρακλείδῃ τῷ Ποντικῷ ἐν ταῖς Λέσχαις, καὶ (παρὰ) Παρθενίῳ ἐν Ἐλεγείαις, καὶ παρ' ἄλλοις πολλοῖς, ἱστορίαι ξέναι καὶ ἄτριπτοι.

Ex Alexandro Aphrodiſienſi, in L. 6. Topic. Ariſtot. pag. 209, edit. Ald.

Καὶ οὗτος ὁ τόπος τοῦ ἄνωθεν κατὰ παράχρησιν ἔχεται· κείμενα οὖν ὀνόματα λέγει, τὰς συνήθεις καὶ κατατετριμμένας λέξεις· καὶ μὴ οἵαις ὁ Λυκόφρων χρῆται, σκληραῖς τε καὶ τροπικαῖς· πεφυκέναι λέγων τὴν φοινικῆν, καὶ κύνα τὴν γυναῖκα, διὰ τὸ ἀναιδές.

Ex Hephaeſtionis ſcholiaſta.

Ἑπτὰ λέγονται εἶναι Τραγῳδοὶ, διὸ καὶ Πλειὰς ὠνομάσθησαν. ἐπὶ Πτολεμαίου γεγόνασιν οὗτοι ἄριστοι Τραγικοί· εἰσὶ δὲ οὗτοι· Ὅμηρος νεώτερος, Σωσίθεος, Λυκόφρων, Ἀλέξανδρος, Φίλικος, Διονυσιάδης, Λιαντίδης.

Rurſum.

Ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι Τραγικοὶ, οὓς Πλειάδα ἐκάλεσαν, διὰ τὸ λαμπροὺς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἄστρα τὰ ἐν τῇ Πλειάδι· εἰσὶ δὲ οὗτοι· Ὅμηρος, οὐχ ὁ ποιητὴς, ἀλλ' ὁ Μυροῦς τῆς Βυζαντίας ποιητρίδος υἱὸς, καὶ Σωσίθεος, καὶ Λυκόφρων, καὶ Ἀλέξανδρος, καὶ Λιαντίδης, καὶ Σωσιφάνης, καὶ Φίλικος.

(Ptolem. Hephaeſt. L. VI. καινῆς ἱστορίας ap. Phot. C. 190.

Ὡς ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ Λυκόφρων εἰπών· ποία δ' ἀηδὼν στεῖρα κενταυροκτόνος, τὰς Σειρῆνας κενταυροκτόνους εἶπεν) [m].

m) Haec vncis incluſa, quae abſunt ab edit. Seb., nos inſeruimus.

Ex Ioan. Tzetza in Prolegg. ad Heſiod. Opera et Dies.

Τῶν ποιητῶν οἱ μὲν εἰσὶ λυρικοὶ, οἱ δὲ μονῳδοὶ, οἱ δὲ κωμικοὶ, καὶ ἕτεροι τραγικοὶ ..... Μονῳδῶν δὲ γνωρίσματα, τὸ μετεπροσώπως ὑπόθεσιν ἐφηγεῖσθαι τὴν οἵαν δήποτε, οἷος ἐστιν ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ Λυκόφρων.

Ex Euſtathio in Il. ξ. p. 988, l. 61, ed. Rom.

Ἴστέον δὲ καὶ, ὅτι κατάλογόν τινα ἡρωϊδῶν ἐνταῦθα, ὃν καὶ ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ ποιεῖ Ὅμηρος· καὶ ταῖς περὶ αὐτῶν ἱστορίαις συντομώτατα ἐπιτρέχει· ὃ δὴ ὁ Λυκόφρων ἐκ τούτου ἐκίδασεν.

Ex eodem in l. λ. Odyſſ. p. 1680. l. 32.

Τῷ σκοτεινῷ καὶ στενῷ τὴν ἱστορίαν Λυκόφρονι.

Ex Statio ſylu. 5, in Epiced. Patris.

Carmina Battiadae, latebrasque Lycophronis atri.

Ex Lylio Gregorio Gyraldo de Poet. Hiſt. Dial. 3. pag. 149, f. ed. Lugd. Bat.

..... Lycophron, qui tenebras, et eas quidem Cimmerias habere videtur: ea eſt enim ſententiarum et verborum plerumque obſcuritate offuſus, vt etiam Tzetzae Iſaacio, inſigni Grammatico, lumen praeferente, vix conſpici poſſit.

Et paulo poſt p. 157 — 58.

Iam vero de Lycophrone agamus, qui Soclei filius, Chalcidenſis ex Euboea fuit, poeta, vt Laertius ſcribit, Tragicus. Sunt qui a Lyco Rhegino hiſtorico, qui et Butheras dictus eſt, illum adoptatum fuiſſe tradant, habitus et inter Grammaticos quoque inſignis. Scripſit vero inprimis iambico carmine *Alexandram*, id eſt, *Caſſandram*, poema valde obſcurum, quod et hodie legitur cum Iſaaci, viri docti, commentariis, varia eruditione

refertis. . . . . Fuit igitur, vt ad noſtras tabulas redeam, Lycophron poeta Tragicus, qui a ſcriptoribus in huius poetarum Pleiadis numero eſt connumeratus, ea ratione, vt puto, quod obſcuriori ſtellae Pleiadis conferatur: vnde et Statius Papinius in *Syluis*, in patris, vt puto, epicedio, *Lycophronis tenebras*, ad hoc videlicet alludens, dixiſſe videri poteſt. Obſcuriſſimus omnino ſcriptor eſt. Fabulas vero multas docuit, quas recenſet Suidas. Inter eas autem hae feruntur: Aeolus, Andromeda, Aletes, Aeolides, Elpenor, Hercules, Icetae, hoc eſt, ſupplices, Hippotus, Laius, Marathonii, Nauplius, Oedipus primus, et item ſecundus, Orphanus, Pentheus, Pelopidae, Symmachi, Telegonus, Chryſippus. In his dubia Nauplius cenſetur. Lycophronis praeterea Satyras Diog. Laertius celebrat, atque ex iis etiam verſus quosdam attulit. Ipſum vero Lycophronem ſagitta occubuiſſe ſignificare videtur Ouidius (in Ibin v. 531.):

Vtque cothurnatum periiſſe Lycophrona narrant,
Haereat in fibris fixa ſagitta tuis.

Ex vitis Poetarum Graecorum Tanaquili Fabri.

De tenebris haud bene quis diceret, niſi initium deſumeret ex illis Aegypti, quae manu olim palpari poterant, quod ſane in caligine et obſcuritate permultum eſt. Debuerunt eaedem hac ratione craſſitie ad minimum adaequare aquam; et ſi quis concionator, qui circa hanc materiam me longe audentior foret, vlterius ire vellet, iuraret in verba cuiusdam *Rabbini*, illas ex coeno macerato fuiſſe. Sint autem quodcunque volueris, nihilominus hiſtoriam ipſam aeque ſingularem ac veram credo. Loquuntur adhuc de certis quibusdam tenebris ſiccis et ſuffocantibus, quae aliquando *Siciliam* operuere ex eruptione ignis, cinerum et pulveris e monte Aetna, quae tenebrae (verba ſunt Ciceronis)

adeo craſſae per totam regionem, vt alter alterum difficulter diſcernere potuerit. Quin audiuerit quoque de Cimmeriis tenebris, nullus dubito; pariter etiam procul dubio nouiſti, cur mare, alias dictum *Pontus Euxinus*, appellatum fuit *Mare Nigrum*. Sed quidquid ſit tenebrarum, nebularum, obſcuritatum et nigredinis, hoc omne tamen clarum ac dilucidum, ſi cum *Lycophronis Poemate Tenebroſo* conferantur (nam *Lycophronem Tenebroſum* appellat latinus quidam poeta, et Graeci quoddam eius carmen, hodie adhuc ſuperſtes, σκοτεινὸν ποίημα, hoc eſt, poema tenebricoſum, nominarunt) et fatendum eſt, nomina ſuis nunquam melius conueniſſe rebus, nec epitheton vllum rei alicuius naturam atque ſubſtantiam melius expreſſiſſe. Eſt enim hoc poema ipſa obſcuritas, ipſaeque tenebrae; eſt ſane ingens opus, quod a capite ad calcem penitus nigrum, non illud ebeni referens, ſed fuliginis et carbonis inſtar. Sufficerent vero haec, nec vlterius progredi neceſſum foret; ſed ne in amoeno eiusmodi itinere moremur, dicamus noctes hic a principio ad finem perpetuas eſſe, quod regio ſit, quae et diluculum et crepuſculum neſcit, vbi tamen non magis obſeruatur, quam in intimis terrae penetralibus. Si hisce aliquid vlterius adiiciendum, rogarem, quare hoc poema non nominaverint crucem rotamque Grammaticorum? quare non habitum fuerit Noctis filius? et cur non dixerint veteres, animum poetae huic fuiſſe atriorem cute Nigritarum Abyſſinorumque? Quae omnia procul dubio in ipſum quadrarent. Quod vero mihi in manuſcripto quodam publicando quidem, quamprimum illud mihi tempus ſuppetet deſcribere, obuenit, res eſt minime praetermittenda. Dicitur in eodem, nonnullos viros probos audiuiſſe *Lycophronem* dicere ſolitum, illum ſemetipſum ſuſpenſurum ſtatim, ac quis inuentus eſſet, cui ſatis ingenii acuminisque ad poema ſuum intelligendum, et obiectionibus, quas vrgeret, reſpondendum.

Quantum ad me, ea, qua par eſt, ratione hoc conſiderans ſcriptum, opinor poetam hic haud magnum incurrere periculum. Vix ſane quispiam eius arrogantiae eſſet, vt in ſe ſuſciperet enodationem myſteriorum Cereris, coerimoniarum Orphei et interpretationem Merlini atque Noſtradami; et haud multo facilius eſſet poema, de quo loquor, a capite ad calcem explicare:

Quiconque le faira, ſera mon Apollon:
Quicunque illud praeſtabit, meus erit Apollo.

Quicquid horum ſit, forſitan poetae non omnis excuſatio praeciſa (mortuis enim ſuum tribuendum, et primi homines pro ignaris non habendi) non certe, quis enim eius nomine poſſet reſpondere, *Caſſandram* ibi loqui, et obſcurum ſe fiſiendo, nihil praeter morem arti familiarem admiſiſſe, cum prophetarum dicta ambiguitate nunquam non laborent. Hac etiam ratione veniam merebitur Rhapſodia eius tot fabularum, totque hiſtoriarum, quas vnam poſt alteram contexuit, ſuumque congeſſit in poema. Exemplis aliorum ſe inſuper tueri poſſet; et quid demum nobis non diceret Vir, qui celebris adeo habebatur, et reuera erat Grammaticus, cunctorumque ante ipſum ſcriptorum notitia inſtructus? Ad minimum nobis diceret, ſe non ſolum *Tenebroſum* eſſe, ſed quod Heraclitus eodem inſignitus fuerit cognomine CLX annos, antequam ille induxiſſet diuinantem ſuam Caſſandram. Ab altera parte argumentarine quis poteſt ſatis veroſimiliter, quod contexendo hoc opus vnicum hoc propoſitum ipſi fuerit, vt ſcilicet eis moleſtiam crearet, qui credunt ſe cuncta, quae ſcribuntur, intelligere, nec non fabulas omnes, mythologias, linguas corruptas incognitasque, atque ſermones inconditos et confuſos expedire? Credamus demum (hoc enim fieri poteſt) illum irridere voluiſſe lectores illos moroſos tetricosque, qui ſola ea, quae non percipiunt, admirantur, quique, quod non intricatum et difficile,

flocci faciunt, ac non niſi prodigia et monſtroſa diligunt. Dicamus inſuper, illum voluiſſe animum torquere ſudoremque mouere quibusdam, qui ſuo ſane abutuntur otio, qui guſtu praediti ſunt deprauato, et qui non niſi cibos legnis difficilisque digeſtionis in deliciis habent. Quo in caſu laudandumne ipſius propoſitum? At *Luciano Lexiphanem* edenti alium putasne fuiſſe ſcopum, quod ſcriptum adhuc in numerum *Tenebroſorum* referendum? Verum contemplationi huic diutius ne inhaereamus, relinquamus futilis narratoris dictionem, vt alia aggrediamur.

Vixit hic ſcriptor imperante *Ptolemaeo Philadelpho*, de quo *Theocriti* cauſa ante dictum. Erat ex *Euboea*, quae hodie nuncupatur *Negropontus*, *Chalcidenſis*. Praeter poëma, quod ingenia doctorum adeo torſit, Tragoedias XII vel XIII compoſuerat, a Suida recenſitas. Colophonem vero antequam addamus, verbo ſaltem te certiorem faciam, inter ſeptem Pleiadum coeleſtium ſtellas vnam reliquis ſex aut longe minorem aut obſcuriorem eſſe, quam *Lycophron* opportune inter Pleiades poeticas refert.

Ex Gerardo Ioanne Voſſio, de Hiſt. Gr. L. 1. c. 12.

Lycophron fuit vnus ex ſeptem poetis, qui ſub Lago et Philadelpho crediti floruiſſe, vnde et Pleias dicebantur. Sunt autem iſti: Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus Tragicus, Aratus et Lycophron, vt ſcribit Iſaacius Tzetzes, Lycophronis interpres. A quo de nominibus non parum quidem diſſentit Hephaeſtion; ſed Lycophronem tamen et ipſe inter eos reponit. — Eſt autem hic Lycophron iſte, ex cuius poematis tam multis, quorum nomina apud Suidam leguntur, ſola hodie extat Alexandra, ſiue Caſſandra, poema obſcurum, vt etiam Suidas appellat.

Ex eodem de poetis gr. I. 8.

Etiam ſub Philadelpho claruit Lycophron. Sed varios fuiſſe eius nomine dicet Tzetzes Chil. 8. Hiſt. CCIV. n)

Ex Ouidio in Ibin v. 531.

De mortis genere Lycophronis.

Vtque cothurnatum periiſſe Lycophrona narrant,
Haereat in fibris fixa ſagitta tuis.

Eius Epitaphium:

Obſcura tegitur humo,
Qui obſcura poemata ſcripſit.
Occiſus iacet ſagitta,
Quem poetarum ſagittantem ignorantiam
Muſa vidit.
Infauſtae Phoebus eius neci annuit,
Vt poeta diſcat,
Illas poeſes laudibus eſſe dignas, quae ſunt clarae,
In ſuo genere tamen non humiles;
Ni deuouendas igni.
Qui cernis, ab igni caue.

Quod de Lycophrone habet Geſnerus in Bibl. p. 488, vtpote ex Tzetzae prolegomenis deſumptum, omittere exiſtimauimus.

n) Reliqua, quae ſequuntur ap. Sebaſt. usque ad: Philicus, Dionyſiades et Aeantides, quum Voſſ. in omnibus fere ſit manibus, et pleraque iam antea ſint occupata, omiſimus. Idem eademque de cauſa nos fecimus in teſtimonio e Fabric. Bibl. Gr. III, c. 16. p. 416. l. ed. Harl. Vol. III, p. 750 ſqq. petito, vbi Seb. ne iis quidem, quae Harleſ. addidit, vſus eſt. Excerpſit autem Sebaſt. omnia §§ I. II. III. omiſſa modo Baſilii Achrideni epiſtola.

LYCOPHRONIS FRAGMENTA,

QUAECUNQUE APUD ANTIQUOS AUCTORES PASSIM OCCURRUNT.

Diog. Laert. in Menedemo l. 2. ſeg. 140.

Ἅ πάντα φησὶν ὁ Λυκόφρων ἐν τοῖς πεποιημένοις σατύροις αὐτῷ, οὓς Μενέδημον ἐπέγραψεν, ἐγκώμιον τοῦ φιλοσόφου ποιήσας τὸ δρᾶμα, ὧν καὶ τινά ἐστι τοιαυτί·

Ὡς ἐκ βραχείας δαιτὸς ἡ βαιὰ κύλιξ
Αὐτοῖς κυκλεῖται πρὸς μέτρον, τράγημα δὲ
Ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιληκόοις λόγος.

Eosdem verſus refert ex Lycophrone Heſychius Mileſius in Menedemi Vita.

Athen. Deipnoſoph. II, p. 55.

Λυκόφρων δ' ὁ Χαλκιδεὺς ἐν σατυρικῷ δράματι, ὃ ἐπὶ κατωμωκήσει ἔγραψεν εἰς Μενέδημον τὸν φιλόσοφον, ἀφ' οὗ ἡ τῶν Ἐρετρικῶν ὠνομάσθη αἵρεσις, διασκώπτων τῶν φιλοσόφων τὰ δεῖνα, φησί·

Καὶ Δημόκριτος ἐπεχόρευσε δαψιλὴς
Θέρμος πενήτων καὶ τρικλίνων συμπότης.

Idem L. VII. p. 278.

Ὁ δὲ ὀψοδαίδαλος Ἀρχέστρατος ἐν Γαστρολογίᾳ· οὕτως γὰρ ἐπιγράφεσθαί φησι Λυκόφρων ἐν τοῖς περὶ κωμῳδίας, ὡς τὴν Κλεοστράτου τοῦ Τενεδίου Γαστρολογίαν (Schweighäuſ. Ἀστρολογίαν).

Idem L. X, p. 420.

Μαρτυρεῖ δὲ καὶ περὶ τούτων Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς, γράψας Σατύρους, Μενέδημον, ἐν οἷς φησὶν ὁ Σειληνὸς (Σιληνὸς) πρὸς τοὺς Σατύρους·

Παῖδες κρατίστου πατρὸς ἐξωλέστατοι,
Ἐγὼ μὲν ὑμῖν, ὡς ὁρᾶτε, στρηνιῶ.
Δεῖπνον γὰρ οὔτ' ἐν Καρίᾳ, μὰ τοὺς Θεούς,
Οὔτ' ἐν Ῥόδῳ τοιοῦτον, οὔτ' ἐν Λυδίᾳ,
Κατέχω δεδειπνηκὼς, Ἄπολλον, ὡς καλόν.

Καὶ προελθών·

— — — — Ἀλλὰ κυλίκιον
Ὑδαρὲς ὁ παῖς περιῆγε τοῦ πεντωβόλου,
Ἄτριμμα παρεξεστηκός· ὅτ' ἀλιτήριος,
Καὶ Δημόκριτος (Schweighäuf. δημόκοινος) ἐπεχόρευε δαψιλής,
Θέρμος πενήτων καὶ τρικλίνων (τρικλίνου Schweigh.) συμπότης.

Ἑξῆς δέ φησιν, ὅτι ζητήσεις ἦσαν παρὰ πότον·

— — — — Τράγημα γάρ,
Ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιληκόοις (Schweigh. πᾶσιν ἐν μέσῳ) λόγος.

Idem L. XI, p. 487. (485.)

Λυκόφρων δ' ἐν τῷ ἑνάτῳ περὶ κωμῳδίας, παραθέμενος τὰ Φερεκράτους, καὶ αὐτὸς εἶναί φησι γένος κύλικος τὴν λεπαστήν.

Idem L. XIII, p. 555.

Ἀντιφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς .... ὡς ἀνεγίνωσκέ τινα τῷ βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ τῶν ἑαυτοῦ κωμῳδιῶν, (ὁ δὲ δῆλος ἦν οὐ πάνυ τι ἀποδεχόμενος) „Δεῖ γάρ, ἔφησεν, ὦ βασιλεῦ, τὸν ταῦτα ἀποδεχόμενον ἀπὸ συμβόλων τε πολλάκις δεδειπνηκέναι, καὶ περὶ

ἱππάρχας κλινάκας καὶ εἰληφέναι καὶ δεδωκέναι πληγάς." ὡς φησι Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ἐν τοῖς περὶ κωμῳδίας.

Ex Stobaeo in Sermone 115. de vitae laude.

Ἀλλ' ἡνίκα μὲν ἦ πρόσω τὸ κατθανεῖν,
Αἰδὴς πεθεῖται τοῖς δεδυστυχηκόσιν.
Ὅταν δ' ἐφέρπῃ κῦμα λοίσθιον βίου,
Τὸ ζῆν πεθεύμεν· οὐ γὰρ ἔστ' αὐτοῦ πόρος.

Stephanus in Γαλαδραι.

Γαλάδραι, πόλις Μακεδονίας ἐν Πιερίᾳ.
. . . . . ὁ πολίτης, Γαλαδραῖος. Λυκόφρων.
. . . . . καὶ Γαλαδραῖον πίδον.

Euſebius Praep. Euang. L. X, p. 467, ed. Pariſ.

Ὁ δὲ Ἀντίμαχος, τὰ Ὁμήρου κλέπτων, παραδιορθοῖ. Ὁμήρου γὰρ εἰπόντος·

Ἴδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν.

Ἀντίμαχος λέγει·

Ἴδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων ἦν ἀνδρῶν.

Καὶ Λυκόφρων ἐπαινεῖ τὴν μετάθεσιν, ὡς δὲ αὐτῆς ἐστηριγμένου τοῦ στίχου.

Michael Apoſtolius Cent. 17. Prou. 34.

Λυκόφρων δ' ἀπέδωκε τὸ σελλίζεσθαι ἀντὶ τοῦ ψιλλίζεσθαι.

Ariſtophanis Scholiaſtes in Plutum v. 1195.

Ὅτι ὁ Λυκόφρων, ὡς ὁ Ἐρατοσθένης φησὶν, ᾠήθη πρῶτον τοῦτον δᾷδας ἐπηνέγκαι.

Idem in Ranas v. 1398.

Οὐ μόνον ἐν Τροίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν Κρήτῃ Ἴδη ἐστὶν, ὡς καὶ ὁ Λυκόφρων φησίν.

Idem in Veſpas v. 91.

Τὸ οὐδὲ πασπάλην, ἀντὶ τοῦ, οὐδὲ βραχύ. Πρὸς Λυκόφρονα δὲ, ὅτι ἀδιορίστως ἀπέδωκεν ἐλάχιστόν τι.

Idem ibidem v. 103.

Ἀπὸ δορπιστοῦ, Λυκόφρων, ἀπὸ ἀρίστου, οἱ δὲ ἄλλοι, δόρπα, τὰ δεῖπνα.

Idem ibidem v. 702.

Λυκόφρων, καὶ οἱ περὶ Ἐρατοσθένη, τὸ ἐπαφίναι τοὺς κύνας, ἐπισίζειν φασίν.

Idem in Pacem v. 701.

Λυκόφρων δὲ τὸ ὡρακιᾶν, ἀντὶ τοῦ ὠχριᾶν.

Suidas in voce ἐκποκιῶ.

Ποκάδες, ἐπὶ γυναικείων τριχῶν, ὡς τὸ πολύ . . . . . Λυκόφρων δὲ ἁπλῶς τὰς τρίχας.

Idem in voce τευτάζειν.

Τευτάζειν, πραγματεύεσθαι, ἢ σκευωρεῖσθαι, ἢ στραγγεύεσθαι, καὶ πολὺ διατρίβειν ἐν τῷ αὐτῷ. Λυκόφρων οὕτως· . . . . . Ἡρακλείων δὲ καταμεμψάμενος Λυκόφρονα, φησὶν, εἶναι τὸ ἐπιστρεφῶς τι πράττειν.

Idem dicit Etymologus in voce, et Apoſtolius in Cent. 18. Prou. 40. (Zonaras quoque, Photius et Heſychius.)

Idem in voce Νίδων.

Νίδων, ποταμὸς καὶ τόπος λακωνικός· κλίνεται Νίδωνος. ὅθεν Νεδουσία Ἀθηνᾶ, ὡς καὶ παρὰ Λυκόφρονι.

Hesychius in voce κατειλυσπωμένην.

Κατειλυσπωμένην. ὁ μὲν Λυκόφρων, καταρτωμένην.

Idem in voce πύππαξ.

Τὸ νῦν βόμβαξ λεγόμενον, πύππαξ ἔλεγον, ὡς Λυκόφρων φησί.

Etymologici Magni auctor.

Ex quodam opere Grammatico in voce Σαπέρδης.

Σαπέρδας, πέντε καὶ τέσσαρας πέρκας.

Haec et reliqua Etymologi verba transtulit Gesnerus *de Aquatilibus* l. 3. p. 297.

Meletius de Natura hominis p. 81. ed. Venet. 1552.

Haec autem pars et guttur, quod ab illis φάρυγξ dicitur, a φέρω, ex eo, quod inde spiritus feratur, nomen capiens, vt Lycophron et Callimachus poetae testantur.

(Quibus testimoniis a Sebast. prolatis addantur:

Photius in Lex. ad σανίζειν, et σεσαλλίσα: Zonaras in Lex. ad ἀγαστόρων. ἀλιβδύειν. ἀμπρεύων. ἀμπρεύουσι. ἀνατί. δύπτης. καύηξ. λευστῆρα. ὀφελτρεύουσι. σαρούμενος. τράφηξ. φάσσων. et Eudoc. p. 24. 238. 314. 322. et 329.) *M.*

NOTITIA CODICUM MSS.

IN HAC EDITIONE CURANDA COLLATORUM.

Vaticanorum.

CXVII. Codex bombycinus in 4. olim Fulvii Vrſini, conſtans foliis ſcriptis 113. trigeſima cuius priora Dionyſii Afri Periegeſis cum antiquis tantum ſcholiis occupat; cum paraphraſi perpetua, nec alia, ac quae in libro 1307. occurrit, ſingulis verſibus appoſita; et Tzetzae commentario ad marginem infraque coniecto. Eiusdem Prolegomena cum aliquot ex praecedentibus foliis aeuo dilapſis deſiderantur. Is, qui inter libros melioris ſaltem notae habendus eſt, ſaeculo decimo tertio ineunte, minuto et compendiario charactere exaratus videtur.

CMXV. Codex bombycinus in 4. cum caeteris poetis miſcellaneus, habet interlineares, easque rariores, expoſitiones, Iſaacii Tzetzae ſcholia, integraque eiusdem prolegomena in principio, et a fronte, vt et in caeteris, exhibet tetraſtichon in Lycophronis librum ab ipſo Tzetza explicatum, quod incipit: Βίβλος μὲν etc. Is, qui inter probatos haberi poteſt, ſeculo duodecimo exeunte adeo exiliter impliciteque exaratus videtur, vt ſubinde in ſcholiis, vetuſtate vſuque accedentibus, oculos coecutire compellet.

CMXVI. Codex chartaceus in 4. maiori, conſtans paginis 472, olim Cardinalis Guilielmi Sirleti, Bibl. Vatic. die 30 Octob. 1579. illatus, cum Iſaacii ſcholiis ſubinde mutilis, notulis quibusdam, ſed nullius momenti, marginalibus recentioris manus, et gloſſis inter lineas paſſim miniatis. Praefixus quoque rerum index. De-

mum ſaeculo decimo ſexto ineunte tremebunda manu rare ac maiuſculo charactere exaratus videtur.

CMLXXII. Codex chartaceus in fol. maximo, conſtans foliis ſcriptis 178, cum Tzetzae commentariis, verſibus per alphabeti litteras conſtructis, iugibusque ad marginem notulis: omnium ſine controuerſia vt recentiſſimus, (nam ad ſaeculum ſextum decimum exiens commode referri poteſt), optime ſeruatus, et ſcripturae elegantia commendabilis; ita probatiſſimus, vt pro certo habeamus, niſi ex autographo ipſo, ex apographo certe accuratiſſimo fuiſſe deſcriptum. Huic vni (minime aeſtimanda quaedam leuia ſphalmata, quae, etiamſi diligentius exſcribas, plerumque tamen, in prolixa potiſſimum ſcriptura, irrepere te inuito ſolent) tum ſaniores lectiones, tum emendationes, tum aucta loca praecipue debemus. Praemittuntur, vt in integris libris, eiusdem ſcholiaſtae prologus, poetae vita, et poematis argumentum; quin et latinus Index rerum et verborum abſolutiſſimus, e ſummariis perpetuis ad marginem adſcriptis concinnatus. A fronte exhibet duo epigrammata, alterum in Caſſandram, alterum, quod vulgo fertur, incipiens: *Βίβλος μὲν* etc. Ad calcem denique calligraphi egeſtas obſeruatur, ab eodem hisce verbis expreſſa: *καὶ τοῦτο πενίᾳ συζῶν ἐξέγραψα.*

MCCCVI. Codex membranaceus in 4. olim Fuluii Vrſini, conſtans paginis ſcriptis 218. cum expoſitionibus et gloſſis interlinearibus, atque alphabeti litteris conſtructus. Is, qui, licet alicubi et ipſe mutilus, ita vt non ſemel ab recentiori manu ſuppleatur, inter probatos tamen aeſtimari poteſt, ſaeculo duodecimo exeunte, libro, compendiario, et obliquo charactere exaratus videtur.

MCCCVII. Codex membranaceus in 4. maiori cum Arati Phaenomenis et ſuis ſcholiis, a Fulvio Vrſino Bibl. Vatic. donatus, conſtans foliis ſcriptis 112, iisque inuerſis interdum et transpoſitis. Habet ſcholia marginalia et ſubiecta incerti auctoris, et ad poëmatis calcem eiusdem paraphraſin vno iugique tenore percurrentem. Deſideratur prologus iam aeuo dilapſus, cuius extrema verba ſitu carieque paene conſumta, quoad fieri potuit, ad fidem conciliandam exſcripſimus. Prius folium membraneum aliunde avulſum eique adglutinatum, tum altera manu antiquiore ac minutiore exaratum eſt, tum alia de re, nempe de ratione metrica, agit. Margines, ac praeſertim ſuperiores, ita ſunt vetuſtate male adfecti, tineisque corroſi, vt ex ſcholiis non pauca interierint. Is demum, de quo fuſius et accuratius in praefatione, ad ſeculum nonum exiens, vel decimum iniens, commode referri poteſt.

MCDXXI. Codex bombycinus in 4. cum Heſiodo, Pindaro atque Euripide miſcellaneus, omnium, quibus vſi ſumus, omnino deprauatiſſimus; vt qui, praeter complura in paucis illis, quae habet, Iſaacii Commentariis (pertingunt enim usque ad v. 275, excluſiue) mutila loca, cum innumeris ſcatet manifeſtis mendis, lectionibusque deprauatis; tum maxime verſu 501, incluſiue, non alia, quam amanuenſis, cauſa, deficit prorſus. Habet tamen expoſitiones non contemnendas, gloſſasque inter ſingulos poematis verſiculos ab recentiori manu iugiter interiectas. Tandem ſaeculo quarto decimo exeunte exaratus videtur.

MCDLXXI. Codex chartaceus in fol. conſtans paginis ſcriptis 258. cum Tzetzae ſcholiis et interlineari verſiculorum expoſitione. Deſiderantur integra Prolegomena de induſtria omiſſa. Is, qui licet ſuis mendis non careat, et interdum ſit mutilus, ex accurato tamen

aliquo vetuſtoque exemplari manu calligraphi Ariſtobuli Apoſtolii, hierodiaconi Cretenſis, nitide ſaeculo decimo quinto videtur exaratus.

Palatinorum.

XL. Codex chartaceus in 4. minori, miſcellaneus, cum Tzetzae commentario, et interlinearibus expoſitionibus gloſſisque. Accurate ipſe quidem exaratus, ſed ex mutilo quodam exemplari expreſſus videtur, vt qui complura, nec ea interdum parui momenti, loca non agnoſcat. Caetero ad ſaeculum decimum quintum exiens referri poteſt.

CXXXIX. Codex chartaceus in 4. minori, cum Orpheo, Nicandro, Sophocle, Theognide, Dionyſio Periegete, et Aeſchylo miſcellaneus, ſine prorſus Commentariis: praemittuntur tamen Iſaacii prologus, poetae vita, et poematis argumentum, quod, vt et in Barberino, ſecus atque in caeteris libris deſinit. Nam poſt redditam Lycophronis etymologiam, praecipueque illa verba: καὶ γὰρ οἱ λύκοι πανοῦργοι: ab alio initio ſic explicit: Ὁ ἄγγελος, ὃν ἀπέστειλεν ὁ Πρίαμος, ἀκούσας τῆς Κασσάνδρας, φησὶ πρὸς τὸν Πρίαμον, ἃ ἤκουσε παρ' αὐτῆς, λέγων· λίξω τὰ πάντα νηφεκῶς, ἅ μ' ἱστορεῖς, καὶ τὰ ἑξῆς. In fronte poematis haec leguntur: Λυκοφρονικῆς μονοπροσώπου βίβλος. Is eleganter quidem, ſed parum accurate, aut ex parum accurato libro ſaeculo decimo ſexto ineunte exaratus videtur.

CXLII. Codex chartaceus in 4. minori, miſcellaneus cum Demoſthene, Heſiodo, Theocrito, Marciano, Scylace et Dicaearcho, ſine prorſus Prolegomenis et Commentariis: ab initio tantum paſſim inter lineas vi-

ſuntur gloſſae miniatae. Caeterum labenti manu ſaeculo quinto decimo ineunte videtur exaratus.

CLVIII. Codex chartaceus in 4. minori, cum Cornuto de natura Deorum, Calliſtrato, Maximi Rhetoris ſcholio in Theocriti Syringem, et hiſtoria de purpura et Polluce miſcellaneus. Habet Iſaacii Commentarium cum integro prologo, gloſſas interlineares, et ſummaria paſſim in margine rubricata. A fronte exhibet notum tetraſtichon in Lycophronis librum. Denique ſaeculo decimo quinto exeunte parum caſtigate exaratus videtur.

Caſanatenſium.

Codex membranaceus in 8. maiori, I, 2. 11. in Catal. notatus, conſtans paginis ſcriptis 217. cum Iſaacii Commentario, verſibus per alphabeti litteras paſſim conſtructis, et notulis quibusdam ad marginem ab recentiori manu coniectis. Praemittitur eiusdem prologus, tum de variis poeſeos et poetarum generibus, tum de vita et ſcriptis Lycophronis; nec non poematis argumentum, in fine cuius haec leguntur: Πᾶσα ποίησις τρεῖς ἔχει χαρακτῆρας, διηγηματικὸν, δραματικὸν καὶ μικτόν. A fronte occurrit epigramma Οὐκ ἄν etc. et ad calcem ſtichurgia φνοδ'. 1474. Caeterum is liber optime ſeruatus, ſaeculo decimo ſexto ineunte, minuto quidem, ſed perſpicuo charactere nitidiſſime exaratus videtur cum initiali littera aurea graphiceque depicta: ex parum accurato autem exemplari expreſſus, vt qui compluribus in locis mutilus ſit; non ita tamen ſpernendus, quaſi nihil ſervierit; nam ſi nihil noui ſuppeditauit, nonnulla certe, neque ea parui momenti, quae ex vno, aut duobus tantum libris emendaueramus, ſubſcribere viſi ſumus.

Codex chartaceus in fol. paruo I, 2. 5. in Catal. inſignitus, ſimul cum Dionyſii Afri Periegeſi per Euſtathium expoſita: conſtans paginis ſcriptis ad Lycophronem et Tzetzae ſcholia attinentibus 482. ſine vllis nec interlinearibus nec marginalibus expoſitionibus. Praemittuntur integra eiusdem Iſaacii prolegomena, et ad calcem haec, quae et in Barberino libro, leguntur: λυκοφρονικῆς μονοπροσώπου βίβλου ἔληξε τέλος τῇ συνάρσει τοῦ λόγου. Is, qui licet ſuis et ipſe mendis non careat, nec omnibus ſit numeris abſolutus, ſaltem inter accurata antigrapha recenſeri poteſt; ſaeculo quinto decimo ineunte haud inſcite exaratus videtur.

Ex Appendice Bibliothecae Alexandrinae ſiue Chriſtinae Reginae.

XVII. Codex chartaceus in fol. conſtans paginis ſcriptis 226. cum Tzetzae Commentariis, et gloſſis perpetuis inter verſiculorum lineas interiectis. Accedunt breuia ſcholia, ſed illa quidem parui momenti, marginibus ſparſim illita. Caeterum duplici manu haud oſcitanter ex accurato aliquo exemplari exſcriptus videtur, altera nempe ab initio ad p. 49, v. 197. altera ad finem usque Antonii Mediolanenſis, alias Cretenſis, qui ad calcem ſignificauit, abſoluiſſe die 27. menſis Maii an. Chriſti 1479. Hunc eundem amanuenſem et Barberinum librum binis poſt annis in Creta pariter exaraſſe mox videbimus.

Ex Bibliotheca Barberina.

Codex chartaceus in fol. olim Leonis Allatii, conſtans paginis 254. cum Tzetzae ſcholiis ſine vllis aut gloſſis interlinearibus, aut notulis marginalibus. Praemittitur eiusdem ſcholiaſtae Prologus cum poetae vita,

et poematis argumento, quod perinde, vt in Palatino 239. claudit. Incipit cum nota tetraſticho Βίβλος μὲν etc. explicitque illis verbis: λυκοφρονικῆς μυσοπροσώπου βίβλος εἴληφε τέλος τῇ συνάρσει τοῦ λόγου. Poſtremo amanuenſis nomen, patria ac tempus, quo exſcriptus ſit, apparent hoc modo: Ἀντώνιος Μεδιολανεὺς, Κρῆς τὸ γένος, καὶ ταύτην τὴν βίβλον ἐν Κρήτῃ ἐξέγραψα, ἔτει ἀπὸ τῆς κυριακῆς ἀναθρωπήσεως ϡπά, (1481) μηνὸς Μουνυχιῶνος ιά. (menſis Martii 11.) Is, quamuis mutilus ſubinde ſit, et deprauatis locis, lectionibusque infectus, nonnihil tamen et ipſe iuuit, atque inter libros prorſus non contemnendos haberi poteſt.

SEBASTIANI

VARIETAS LECTIONIS

IN

LYCOPHRONIS CASSANDRAM

CVM EMENDATIONIBVS ET NOTIS MVLLERI

CRITICIS ET GRAMMATICIS.

VARIETAS LECTIONIS

EDITIONIS SEBASTIANAE.

Verſ. 1. ἃ μὴ ἱστόρεις aliqui. ἀλλ' ἱστόρει alii, Tzetza referente. V. 3. ἡσύχως Vatic. 972. Membr. autem Caſanat. ea poſt κόρη interpunctione legit, vt dicat: *Neque enim tacita eſt virgo.* Δέσποτα, Vatic. 916.

V. 1. ἃ μ' ἱστορεῖς) Sic Aeſchyl. Prometh. 962. πεύσῃ γὰρ οὐδὲν ὧν ἂν ἱστορῇς ἐμέ, vbi ſchol. ζητῇς ed. Stanley. ἀνιστορεῖς vero ed. Schütz., et Eurip. Phoen. 624. ὡς τί μ' ἱστορᾷς τόδε; Thom. Mag. p. 476. ἱστορῶ, ποιητικῶς, τὸ ἐρωτῶ. cff. ibi Interptt. Weſseling. ad Herodot. init. et Creuzer in: *Die hiſtor. Kunſt der Griechen* p. 174 ſqq.

V. 2. ἄκρης) Schol. min. πρώτης, vt vv. 13. 108. et 914. et Sophocl. Ai. 283. ἄκρας νυκτὸς, quod Suid. et Zonar. explicant περὶ πρῶτον ὕπνον. Thryllitzſchius hic ſubiicit: Sic Euſtath. L. X. p. 402: ταύτῃ γὰρ σοὶ τὴν κλῆσιν Ἀπόλλων Φοιβάζων ἀπεχαρίσατο, μὴ Φείσῃ λέγων τὰ καθ' ὑμᾶς ἀρχῆς ἀπ' ἄκρης, καὶ μέχρις ἄκρης αὐτῆς, et p. 404. ἐγὼ δὲ πρὸς αὐτὸν, συγγνωθι δέσποτα.

V. 3. ἥσυχος) Schol. min. interlin. Vit. 1. ἡσύχως, ἤτοι μεθ' ἡσυχίας; ſchol. vero min. Vitt. 2 et 3. οὖσα (ſcl. ἥσυχος) ἡ κόρη, ita vt diſtinguant, ſicut Cod. Caſ. membr. poſt κόρη, quam vero diſtinctionem reſpuit contextus v. 5. Lectio ἥσυχος non eſt ſollicitanda, nam vim habet Aduerbii, vt ap. Xenoph. Cyropaed. V. 3. 55. et infra v. 1216.

V. 4. αἰόλων Vat. 117 et Seldenianus Cod. V. 6. δαφνηφάγον Vatic. 1306. Sic pariter legunt et Vatic. 117

V. 4. αἴολον) Schol. interl. Vit. 1. vti Vat. 117. legit αἰόλων, nam exhibet ποικίλων χρησμῶν (male Vit. 2. χρησμὸν) et iungit cum χρησμῶν. Sic Aeschyl. Prometh. v. 666. αἰολόστομοι χρησμοὶ, *oracula perplexa*, et addit Aeschyl. ἀσήμως καὶ δυσχρίτως εἰρημένοι. cf. ibi Schütz. Perplacet tamen αἴολον, nam et Lycophronis, qui traiectionem epithetorum amat, insolentiae est aptius, et postea v. 28. στόμα βακχεῖον confirmat. Στόμα autem λύειν χρησμῶν respondet Ouid. Metamorph. XV, 74. *ora docta soluit verbis*, et, auctore Pottero, Virg. Georg. IV, 452. *sic fatis ora resoluit.* Genitiuus autem χρησμῶν non pendet, vt putant, a praepositione omissa διὰ, sed iungendum videtur cum στόμα, vt sit στόμα χρησμῶν *os oraculorum* h. e. *fatidicum*, vel etiam cum ἔλυσε, *liberauit quasi os oraculis*, h. e. edidit ea.

V. 5. ἄσπετον) retulerim magis ad χέασα, quam ad βοὴν, etsi Lycophron saepius, vt vv. 23. 28. et al. duo Adiectiua vni addat Substantiuo, vt lòco Aduerbii sit: *difficile perceptu*, quod propter multitudinem, obscuritatem et varietatem vix capi possit. Hesych. ἄσπετα· δυσπαρακολούθητα. cf. Schol. Tzetzae. χέασα pro ἰεῖσα vsus est Lycophr. vt multitudinem vaticiniorum et vehementiam vocis intentae exprimeret, nam totus versus, quem more suo ornat, opponitur τῷ ἥσυχος, et ornamentis detractis, nil est, nisi σὺν πολλῇ βοῇ.

V. 6. Δαφνηφάγων) Codd. Vitt. 1. et 2. δαφνηφάγον, posito tamen, vt in Vat. et Pal. eadem manu ω̄ super ο̄. Etymolog. M. ad φοιβάζω legit quoque δαφνηφάγον, non male, per traiectionem epithetorum, cum Sophocle in loco a Cantero e Cassandra laudato, scl e schol. Hesiodi ad Theog. 30., δαφνηφάγον ὀδόντι πρίετο στόμα. Nullam vero esse Sophoclis Cassandram docuit Brunk. p. 36. et 46. et ideo Bothe in Fragm. deperditorum dramatum eam omisit. His accedere videtur schol. interl. Vit. 1. qui explicat: μαντικὴν φωνὴν ἵπεμπε. Locus Euripidis a Cantero allatus reperitur in Iphig. in Aul. v. 759 sqq. Consentaneum est nostro Iuuenalis VII, 18. *laurum mordere*, cf. ad h. l. Ruperti, et Callimachi in Del. 94. ἰρεῖν τι ἐκ δάφνης, cf. ibi Spanheim. φοίβαζεν pro ἐφοίβαζεν. Lycophron, etsi in reliquis a dialecto Ionica

et Palat. 158. Sed eadem in vtroque manus, vt videtur, ω̄ isti ō̄ superscripsit contra, atque in Selden. fit. Sic et Tzetza legisse videtur ex Commentario, quamvis alterutram lectionem pariter admittat. Ego tamen alteram, quae est in textu, huic longe praefero. δάφνην Φάγων Coel. V. 9. ὤναξ Palat. 139. Alexand. seu Christinae reginae, Casan. chart. et Baroccianus. ὦ ἄναξ Vatic. 1421. ὦναξ Selden. Ἀναπεπάζων Vat. 117. V. 10. διΐχνει Theod. Beza ad D. Lucae Euang. C. 1, 3. et sane eam lectionem vulgari praeferimus, reluctantibus licet omnibus Mss.

abstineat, augmentum saepe omittit, vt v. 17. ὑπερποτᾶτι, v. 21. λίαζον, v. 23. ϑεῖσι et al.

V. 7. κελαινῆς) malim referre ad saeuitiam Sphingis, quam cum Grammaticis ad obscuritatem aenigmatum, vt infra v. 471. δόρκος κελαινὸς, v. 1336. Ister dic. κελαινὸς et v. 1445. fitis κελαινή. Virg. Georg. IV, 107. *atra tigris*, Voss. p. 871.: *der finstre, graunvolle Tiger, wobey einem schwarz vor den Augen wird*: quae tamen interpretatio mihi videtur nimis arguta.

V. 9. κλύοις ἄν) pro Imperatiuo, cf Canter. et Viger. ex edit. Hermanni p. 486. ὤναξ. Cod. Vit. 3. ὦναξ. ἀναπεμπάζων Φρενί. Turpiter hic lapsus est Canterus, nec a Reichardo sublatus, loco prorsus alieno laudato Hom. Odyss. ι, 271. καὶ ἐμῶν ἐμπάζεο μύϑων, quum potius laudandus fuisset Apoll. Rhod. IV, 350. ἕκαστα νόῳ πεμπάσσατο κούρη. cf. omnino de voc. ἀναπεμπάζειν Ruhnken. ad Timaei Lex. vocc. Plat. p. 33.

V. 10. διοίχνει) Coniecturae Bezae ad Luc. 1, 3. διΐχνει non omnes reluctantur Codd., vti opinatur Sebastiani, nam Vit. 2. ei adstipulatur et in textu et in scholiis, quod voc. si Etymologiae habeas rationem, eiusdem significationis, vt διοίχνει, esse videtur. cff. Etymol. M. et Zonar. in οἰχνεῖν. Vocabulis raro obuiis annumerat Appendix Stephani Thes. et Galeomyomachiae attribuit διϊχνεῖν. An praeferendum sit vulgato, videat Sebastiani. Reliqui Codd. cum Phauorino ed. Bas. 1538. laudato Lycophrone, tuentur vulg. διοίχνει.

δυςφάτων Vat. 1421. V. 11. οἴμους Vatican. 916. 972. 1421. Palat. 142 et Casan. membr. V. 12. σκότει Seld. tanquam a σκότος, εος. ποδηγέτει alii imper. teste Tzetza. V. 13. βαλβίδα Vat. 916 et Pal. 139.

V. 11. οἴμας) οἴμας ſic ſemper in ſcholiis, et recte, vid. Pindari interpretem Schmid. ad Pyth. p. 34. b. ſcholia Hermogenis p. 5. ed. Ald. προοίμιον λέγεται τὸ προτιθέμενον τοῦ λόγου· οἶμος γάρ ἐστιν ἡ ὁδός. Thryllitzſch. Codices tamen et editt. conſpirant in οἴμας, vti etiam Phauorin. ad οἴμας τυλίσσων. vid. Tittmann. ad Zonarae Lex. οἶμος et οἴμη. Τυλίσσων pro ἀνατυλίσσων non tam, vt Tzetzes, ἀνερευνῶν, quam, vt ſchol. interl. ἀναπτύσσων, *euoluendo, explicando*, ſcl. involucra vaticiniorum, et διοίχνει τυλίσσων pro: τύλισσε, *euolue, explica tibi.* Credibile quoque eſt, Lycophronem, quod non abhorret ab eius ingenio, in verbo τυλίσσων cogitaſſe de filo Ariadneo: id quod inprimis placet Kieslingio meo. Proprie filum viam monſtrans τυλίσσεται, *adglomeratur*, poetice autem, maxime a Lycophrone *ipſa via* dic. adglomerari. ἥπερ — ποδηγετεῖ h. e. *qua via, qua ratione* fieri poterit, vt *haec obſcura oracula facile et recte* intelligas, ſ. explica ea ratione, quam rectam eſſe intellexeris, atque facilem. Sed vide, quibus ambagibus Lycophron hanc obſcuritatem magis obſcurauerit, eaque illuſtra ſic: ἥπερ εὐμ. τρ. τὰ ἐσκοτισμένα αἰνίγματα ποδηγ. εἰς ſ. πρὸς ὀρθὴν κέλευθον, (ingredere ſcl. eam viam) *quae eſt facilis et proxima ad haec oracula ſ. aenigmata recte explicanda.*

V. 12. τὰν σκότῳ) Codd. Vit. 1. et Ciz. τὰ ἐν σκότει, ſic etiam in ſcholiis. Infra v. 385. etiam σκότους, alii vero σκότου. Vtraque forma occurrit, vid. Valkenar. ad Eurip. Phoeniſſ. v. 380. τὰν σκότῳ nil niſi ἐν σκότῳ, vt art. τὰ redundet.

V. 13. ἐγὼ δ') Sic quoque Vitt. 1. 2. et Ciz. in contextu et ſcholiis; Reichard. ἐγὼ δ'. βαλβῖδα. Codd. Vitt. 1. 3. et Ciz. βαλβίδα; ſic quoque Phauor. Etymol. M. et Zonar. in βαλβίδες. Ad v. 13—15. cff. Potter. et Reichard, quorum interpretationi nemo erit, qui non lubenter accedat. Senſ. vero horum verſſ. a Lycophrone more ſuo ornatorum eſt: *Sed ego ſtatim aggrediar enarrare Alexandrae vaticinia.*

V. 15. ἀῤῥάξας Bar. νύσαν Pal. 158. Caeterum apud reliquos verſus iſte praelatus videtur antecedenti, ſed nihil ad ſenſum. V. 16. αἰπὺν non agnoſcit Barocc. Φηγίνου alii. V. 17. ὑπὲῤ ποτᾶτο nonnulli. V. 21. λύαζον Pal. 139. at λυάζω de garrulis ac ſeditioſis hominibus vſurpari licet. ἐσχάζουσαν in textu et in ſcholiis Vat. 972. V. 22. ὕσπληγας pro ὑσπληγγας ex Vat. 916. 972. vtroque Caſan. aliisque. ὕσπληγα Pal. 40. V. 23. εὐώπαις Pal. 142. V. 25. πτύλα Pal. 139. V. 26. ὠργυωμένους Vat.

V. 15. ἀῤῥάξας) vti Vit. et Ciz. ſed Vitt. 2. et 3. ἀῤῥύξας, male. νύσσαν, Vit. 1. et Ciz. νύσαν. Sic vrbs, vnde Gregorius Nyſſenus, in Mſſ. ſaepius Νύση, vid. Petr. Lambec. L. 1. append. de Bibl. Caeſ. p. 97. et 98. *Thryll.* Reliqui Codd. rectius νύσσαν. Caeterum hic verſus in Codd. Vit. 1. et Ciz. neque praepoſitus v. 14. neque ordo ſcholiorum, vti ap. Sebaſt. et alios editores, inuerſus eſt.

V. 16. φυγίου) Cod. Ciz. Φρυγίου, male. Phauor. et Etymolog. Φυγίνου.

V. 20. γρώπης) ſcl. ἀπὸ, quod reuocandum ex ſeqq. κἀπὸ γῆς, vel adeo, ſi malis ſequi Hermannum in Muſeo Antiquitatis ſtudior. p. 140. ſeqq. quum ſoli Genitiuo adhaereat notio deriuationis et ſeparationis, non attinet addere Praepoſitionem.

V. 22. ὕσπληγας) ab ὕσπληξ. Sic Potter. e Cod. Baroc. ſed Vitt. omnes et Ciz. vt Canter. ὕσπληγγας ab ὕσπληξ.

V. 24. φαλ. κόραι) Temere reprehendit Euſtath. ad Hom. Il. ed. Baſ. p. 233. et Polit. T. II. p. 655. Lycophronem, quod naues ex arboribus Phalacrae aedificatas nominarit φαλ. κόρας. cf. Canter. ad h. l. Etenim, vt taceam Hebraeorum בַּת et בַּן, non minus venuſte Horat. I, 14, 11. *ſiluae filiam* e pinu Pontica conſtructam nauem, et Mart. XIV. 90. acernam menſam nominat *Maurae ſiluae filiam*, nam κόρη eſt h. l. filia.

V. 25. λευκὰ) Cod. Vit. 2. λεπτὰ, inepte.

V. 26. ἄφλαστα) al. ἄπλαστα. Phauor. ad φώσων habet ἄλφιτα, quod quidem ſcholion debet Etymol. M. ſed non voc. ἄλφιτα, nam id ἄφλατα; rectius vero ad ἄφλαστον exhibet ἄφλαστα. Saepius Phauor. feſtinatione lapſus eſt. cf. Zonarae Lex. φώσων et ibi Tittmann.

117. Casan. chart. et Potteriani Mss. ἄπλαστα aliqui. ἄλφιτα Etymol. in φώσσων, ex eoque Varinus. ὠργυωμένας Vat. 916. ὀργυιωμένους Etymol. loco cit. V. 27. hunc versum sic profert Vat. 1421. ἀπαρκτίαις πνοαῖς πρηστῆρος αἴθωνος. V. 30. ἦρχε κασάνδρα Pal. 139. V. 31. αἳ, αἳ Pal. 40. et 158. V. 32. πρόσθεν Barberinus. V. 33. ἐκποντίου pro τριεσπέρου Varinus in suis Collectaneis. V. 34. ἡμάλαψε cum aspero Varinus et Canterus. V. 35. ἐγκάτοις pro

ὠργυιωμένους, sic quoque Vitt. 1. 2. et Ciz. hic et infra 1077. sed ὠργυωμένους Vit. 3. et Phauor. quamquam Etymolog. vnde hausit, vtroque loco, ὠργυιωμένους, in ed. Venet. vero ὠργυωμένους.

V. 28. Hunc versum laudat schol. Eurip. ad Hec. 28. ἴνθεον, forte ἴνθεος, *divino spiritu concitata*, saltem ἴνθεον per traiectionem sic est explicandum. Eurip. Hec. 123. Agamemnon traditur ἀνέχων λέκτρα τῆς μαντικόλου βάκχης, h. e. Cassandrae, cf. ibi Scholiast. qui hoc ipso Lycophronis versu allato: βάκχην, inquit, αὐτὴν λέγει, ἐπειδὴ οἱ μαντευόμενοι, ἔνθεοι ὑπὸ θεῶν γενόμενοι, μαντεύονται, καθάπερ αἱ Βάκχαι, τῷ Διονύσῳ πληγεῖσαι, ἄνω καὶ κάτω φέρονται, ὥσπερ μαινόμεναι.

V. 30. Ἀλεξάνδρα) Vit. 3. vt Pal. κασάνδρα. Hic est locus Lycophr. vnus, in quo nomen occurrit Cassandrae; alias semper dic. Alexandra. cf. omnino Brod. ad Anthol. p. 136. *Thryll.* Codd. Vitt. 1. 2. et Ciz. Ἀλεξάνδρα.

V. 31. αἳ, αἳ) Vit. 1. 2. et Ciz. αἳ, αἳ, sed Vit. 3. αἳ, αἳ in contextu et scholiis. cf. Zonar. Lex. ad h. v. vbi hic ipse versus laudatur, et infra ad v. 309.

V. 32. πρόσθε) Vit. 3. in scholiis quoque, πρόσθεν, perperam.

V. 33. τριεσπέρου) videtur quoque legisse Phauor. ad v. τριεσπερος, vbi laudat schol. Tzetzae huic loco adpositum. ὅν ποτε. Codd. Vit. 2. et 3. ὅν ποτ' ἐν, lectio a Potter. e Baroc. notata, eaque verissima.

V. 34. ἡμάλαψε) Neque Phauor. neque Canter. habet ἡμάλαψε cum spiritu aspero. Errat Sebast. cum Pottero. Significat autem, interprete Phauorino, κατέπιε, ἔλαψε, quod proprie de canibus dicitur. Hesych. ἡμαλάψαι· κρύψαι, ἀφανίσαι. Phot. ἡμάλαψεν· ἔκρυπτεν, ἠφάνιζεν.

V. 35. ἡπάτων) Nostri

ἡπάτων **Selden.** ἡ πάντων pro ἡπάτων Caſ. membr. Φλυδούμενος Suidas in voce. V. 37. κωδίας Vat. 916. et Baroc. V. 38. τεκνοραίστης, ὁ λυμεὼν Stephan. Barberinus autem art. non agnoſcit. V. 43. τ' ἀράχης pro ταραχτὴς Pal. 158. Ἰσχαίνου Vat 915. Quosdam ὠλένου malle legere teſtatur Canterus. V. 44.

Codd. omnes conſpirant in ἑπάτων. Φλοιδούμενος. Hanc lectionem tuentur Codd. Mſſ. omnes, ſed Suidas non male praebet Φλυδούμενος, a Φλύω, Φλυδόω, laudato Lycophrone: habet tamen etiam Φλοιδούμενος, Lycophrone autem non nominato. Φλοιδούμενος Heſych. ταραττόμενος, quod Suidas ad Φλυδόμενος habet, vti quoque καταπονούμενος. Noſtro loco aptius Suidas ad Φλοιδούμενος cum Zonara: καιόμενος, non *ambuſtus*, quod malum in ventre ceti, ἀφλόγοις ἐπ' ἰσχάρας, ei vix accidere poterat, ſed *aqua feruida perfuſus*, noſtri dicunt: *abbrühen*, quo calore aquae deglabrabatur h. e. capilli eius defluebant, σμήχιγγας ἐστάλαξε κωδείας.

V. 36. τινθῷ — πίδῳ) iungit cum Cantero ſuo Reichardus, vt ſit: *capax ollae venter* h. e. *venter ceti*; verum vereor, ne vim afferat Lycophroni, ordinemque verborum a poeta non turbatum turbet. Nam vt nil dicamus de verbis ἀφλ. ἐπ' ἰσχ. interiectis, et voc. πίδῳ nimium a τινθῷ remoto, vix perſuadebit lectoribus, πίδον λίβητος dici poſſe, quum Lycophron πίδον ſemper de terrae ſolo vſurpet. Iungendum igitur iterum eſt cum ἐστάλαξε: πίδῳ h. e. εἰς πίδον, πρὸς πίδῳ, vt v. 80.

V. 38. τεκνοραίστης) cf. Eudocia περὶ τῆς Μεγάρας p. 286.

V. 40. ἀτράκτῳ) βέλει, vt Sophocl. Trach. 714. cf. Etymol. M. et Eurip. Rheſ. 312. ibique Barneſ.

V. 42. Κρόνου — ὄχθον) Inepte, nec monente Reichardo, Canterus Olympum cum Meurſio interpretatur, quum tamen Olympia intelligatur. cff. Potter. in Commentar. et ſcholia Pindari Olym. I, 179. Κρόνιον λόφον ἤτοι παρὰ τὴν Ὀλυμπίαν, v. 39. λόφον τὸν Κρόνιον, ἤγουν τὴν Πίσαν, et Nem. XI, 31. Recte Tzetzes τὴν Ὀλυμπίαν, et Κρόνιον λόφον πλησίον τοῦ καμπτῆρος τῆς Ὀλυμπίας.

V. 43. ταραχτὴς) Ciz. ταράχτης, Vit. 1. ταράκτης. Ἰσχίνου tuentur noſtri Codd. omnes.

V. 44. τὴν θαλάττης) Ciz. et Vit. 1. τὴν θαλάσσης, ſed Vitt. 2. et 3. τῆς θαλάσσης, et ſic citat Stephanus in Λύσσια. Thryll.

τῆς Vat. 1471. Pal. 139. Alexandr. Barber. Barocc. aliique. θαλάσσην Pal. 158. θαλάττης alii. Αὐσονήτιδος Vat. 972. V. 45. ὀπιπτεύουσα Seld. V. 46. σπήλιγγας Pal. 40. V. 47. ταυροφάγον Vat. 972. et Casan. membr. ταυροσφάγου Pal. 158. ταυροσφάγην alii. V. 48. λοφνίσι fine ν̄ finali Vat. 1471. Pal. 142. 158. Alexandr. Barberin. Casan. chart. aliique. δωμήσατο Vat. 916. 1306. Pal. 158. et Seld. Paruo ō Vat. 117. et Baroc. eadem manus superscripsit magnum ω̄. V. 49. οὐδέαν Barb. Casan. chart. et Baroc. θεὰν Vat. 916. 972. aliique: reliqui omnes θεόν. Seld. versum hunc non agnoscit. V. 50. ἀξίῳ Vat. 1471. V. 51. δεξιούμενος Barb. et Baroc. vid.

V. 45. ὀπιπτεύουσαν) Schol. min. videtur legisse, vt Seld. ὀπιπτεύουσα, nam habet ἐπιτηροῦσα, perperam.

V. 46. σπήλυγγος) Ciz. et Vitt. 1. et 3., sed Vit. 2. σπήλιγξ, vt Phauor. σπήλιγξ. cf. Zonar. ad v. ibique Tittmann. ἰχθυομένην. Ciz. et Vit. 1. ἰχθυομένην, sed scholia recte habent. *Thryll.*

V. 47. ταυροσφάγον) Ciz. et Vit. 1. qui fere vbique, inprimis in scholiis, concinunt, ταυροσφάγου, vt Pal. in scholiis vero ταυροσφάγον, ergo lapsu librarii.

V. 48. λοφνίσιν) Ciz. et Vitt. omnes quoque fine ν̄ finali, repugnante metro. vid. de λοφνίσι Brod. p. 252. vel potius Iacobs ad Antholog. Vol. II. P. 1. p. 325. Nostri Codd. legunt etiam δωμήσατο pro δομήσατο, superscripto tamen in Vit. 1. ō paruo, praeter Vit. 2. qui habet δομήσατο, vt Baroc. superscripto ω̄ magno.

V. 49. οὐ τρέμουσαν) *non timentem*, h. e. contemta eius vi, qua omnes mortuos λεπτύνει, et in orco coercet. οὐδαίαν. Vitt. 2. et 3. οὐδέαν, etiam in scholiis. θεὸν (θεόν) Ciz. et Vitt. omnes, vti Canter. et Pott. θεάν.

